


PALAESTRA LATINA



Wilhelm Geiger
Valencia 10. Mai 1976

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Commentariorum pretium: In Hispania et America, 50 ptarum.

In reliquis civitatibus, 2 \$

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: In Hispania, 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA
vel ad PROCURATORES singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editor Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXVIII (Fasc. III) N. 163

M. SEPTEMBRI A. MCMLVIII

J. JIMENEZ, <i>De «i» et «v» litteris retinendis.</i>	381
J. IJSEWIJN, <i>Carmina Gezelliana</i>	390
AE. ORTH, <i>De Democrito</i>	394
J. MORABITO, <i>Brevia carmina M. Chini</i>	400
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: Laconicum - Calefactio</i>	406
CAELESTIS - MIR - GUISE, <i>Epistularum inter socios commercium</i>	412
<i>Regulae orthographicae</i>	416
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	419
J. SIDERA, <i>Collectanea</i>	423
M. MOLINA, <i>Romanorum castra</i>	425
BIBLIOGRAPHIA, González, Marqués, Philoponus, Molina.	428
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
Aulus in villa rusticator	433
Avenarius, Structura petasi turriti ludificatur Joannellum	434
Alumnorum epistulae - Ad saltum equi - Rex et rurigena	436
Rusticationis dies narratur in alumnorum epistulis	437
Mettius proditur	438
Jocus in foro - Feles callida	440
S. Solá, Acumen ingenii	441
N. Mangeot, Quid modestia militaris valeat	442
Antonius Angelo salutem dicit - Verborum aenigma	443
Aenigmata - Solutiones	444

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVIII (FASC. III) — N. 163

M. SEPTEMI

A. MCMLVIII

De "j" et "v" litteris retinendis

Semel iterumque amici rogaverunt ut quae de «j» et «v» litteris in lingua latina retinendis sentirem, ea in PALAESTRA LATINA proferrem, cum variae sint, immo contrariae, in hac re scriptorum sententiae, neque omnes usu convenient.

Libenter sane faciam, praesertim cum nuper in commentariis quibus index est *Helmantica* fusius quam mos est de hac re disputaverim¹ et facile mihi sit rationes et testimonia breviter colligere, quibus rectius intellegatur non nisi potissimis argumentis has duas litteras in PALAESTRA LATINA jam ab initio retineri.

Afferam igitur primum rationes, deinde testimonia, sententiam tandem de his litteris retinendis.

I. — RATIONES QUIBUS «J» ET «V» LITTERAE RETINENDAE SUNT

1. *Has litteras Romani desiderarunt.*

Non nisi unum idemque fuisse apud Romanos signum ad *i* et *u* vocales et ad *j* et *v* consonas exprimendas neminem fugit. Testantur inscriptiones omnes, scriptorum reliquiae, grammatici. Quintilianum audiamus (1, 4, 10-11) de hac re loquentem:

«Atque etiam in ipsis vocalibus —inquit— grammatici est videre an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia IAM sicut ETIAM scribitur et VOS ut TVOS. At quae ut vocales iunguntur, aut unam longam faciunt, ut veteres scriperunt, qui geminatione earum velut apice utebantur, aut <diphthongum; iungimus

1. *De Orthographia Latina: «Helmantica»* 9 (1958) 223-292.

autem non plures quam> duas; nisi quis putat etiam ex tribus vocalibus syllabam fieri, quod nequit fieri si non aliquae officio consonantium fungantur. Quaeret hoc etiam quo modo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, cum consonantium nulla nisi alteram frangat. Atqui littera I sibi insidit («conclit» enim est ab illo «iacit») et V, quo modo nunc scribitur VVLGVVS et SERVVS. Sciat etiam Ciceroni placuisse AII O, MAIIAMQVE geminata I scribere: quod si est, etiam jungetur ut consonans».

Quod si nulla fuit inter i/j, u/v consonas et vocales distinctio in ratione scribendi, hoc vitio et inopiae orthographiae latinae tribuendum, utpote quae a graeca lingua mutuata variis linguae latinae sonis non omnino adaequabatur; unde opus fuit vertentibus annis litteras graecas linguae latinae pressius aptare vitiaque veteris scriptionis corrigere ipsamque orthographiam in nonnullis novare. Quod vero ad distinctionem inter i / v consonam et vocalem spectat, ipsi scriptores romani inductam voluerunt enixeque desiderarunt signum proprium et distinctum singulis sonis respondens.

Exstat in primis pro «v» littera Quintiliani testimonium, quo id aperte confirmatur: *Nostri praeceptores* —inquit (1, 7, 26)— *SERVOM CERVOMQUE. V et O litteris scripserunt...; nunc V gemina scribuntur; neutro sane modo vox quam sentimus efficitur, nec inutiliter Claudius aeolicam illam ad hos usus litteram adiecerat.*

Sed luculentius ipse Quintilianus haec habet (1, 4, 7-10):

«An cujuslibet auris est exigere litterarum sonos? Non hercule magis quam nervorum. At grammatici saltem omnes in hanc descendant rerum tenuitatem, desintque aliquae nobis necessariae litterae, non cum graeca scribimus (tum enim ab isdem duas mutuamur), sed proprie in latinis, ut in his «seruus» et «uulgus» aeolicum digammon desideratur, et medius est quidam «u» et «i» litterae sonus (non enim sic «optimum» dicimus vel «optimum») et in «here» neque «e» plane neque «i» auditur. An rursus aliae redundant, praeter illam adspirationis, quae, si necessaria est, etiam contrariam sibi poscit, ut «k», quae et ipsa quorundam nominum nota est, et «q» cujus similis effectus specieque, nisi quod paulum a nostris obliquatur, coppa apud Graecos nunc tantum in numero manet, et nostrarum ultima, qua tam carere potuimus, quam φ non quaerimus».

Quod vero ad «i» consonam attinet, constat plures conatus et consilia jam aetate classica inita esse ad distinctionem statuendam cum «i» vocali. Atque re vera:

1) In plerisque CICERO videtur auditu emensus scriptionem, qui et *Atiacem* et *Maiiam* per duo i scribendam existimavit².

2) *Pompeii* quoque genetivum per tria i antiqui scribebant, quorum duo priora loco consonantium accipiebant, ut si dicas *Pompe-ii-i*³.

2. VEL. LONGUS: KEIL, GL VII 54; QUINT. 1, 4, 11.

3. PRISCIANUS: KEIL, GL II, 14.

3) *Pompeius, Tarpeius, eius* per duo *i* scribenda sunt et propter sonum (plenius enim sonant) et propter metra: haec grammaticorum doctrina ⁴.

4) Post classicam aetatem *I* longum quod prius ad *i* (=natura longum fuerat inductum, ad *i* consonam (=hoc est «j») communiter usurpatum est ⁵.

5) Ad rem haec perpendenda Prisciani verba: «*Videntur tamen I et V, cum in consonantes transeunt, quantum ad potestatem, quod maximum est in elementis, aliae litterae esse praeter supra dictas; multum enim interest, utrum vocales sint an consonantes. Sicut enim, quamvis in varia figura et vario nomine sint K et Q et C, tamen, quia unam vim habent tam metro quam in sono, pro una littera accipi debent, sic I et V, quamvis unum nomen et unam habeant figuram tam vocales quam consonantes, tamen, quia diversum sonum et diversam vim habent in metris et in pronuntiatione syllabarum, non sunt in eisdem meo iudicio elementis accipiendae... Multa enim est differentia inter consonantes, ut diximus, et vocales. Tantum enim fere interest inter vocales et consonantes quantum inter animas et corpora...*» ⁶.

Neque est quod hos Romanorum conatus et consilia miremur. Ipsi enim sentiebant se aliter hos sonos scribere, aliter eos pronuntiare, quod erat contra tritam illam legem orthographicam a Quintiliano (1, 7, 30) et ab aliis sancitam: *Ego... sic scribendum, quomodo sonat... Aliter scribere aliter pronuntiare vecordis est* (KEIL GL VII 161, 9).

Atque —ut supra diximus— vitium erat orthographiae latinae, ex eo proveniens quod Latini litterarum seriem a Graecis mutuam acceperant, nequaquam linguae latinae omnino aptatam. Verba enim latina in quibus *I* et *V* consonae apparent variis respondent graecis litteris seu signis graphicis, quia re vera *I* et *V* litterae latinae non semper sunt ejusdem naturae nec eandem habent originem.

2. Graphica distinctio inter *i* / *j* et *u* / *v* tandem vicit.

Quamquam vero Romani inopiam orthographiae latinae conquererentur et deplorarent, frustra tamen vertentibus annis varia consilia instituerunt ad distinctionem in ratione scribendi statuendam. Sed tandem, postquam litterae latinae renatae sunt, opportunum visum est distinctionem inter *i* / *u* vocales et *j* / *v* consonas sancire, quae distinctio favorem omnium per plura saecula obtinuit et ubique viguit.

4. CASSIODORUS: KEIL GL VII 286 ss.

5. G. EDON, *Écriture et Prononciation du latin savant et du latin populaire*, Paris, Berlin 1882, pp. 10, 16, 90.

6. KEIL GL II 13. Cum vero nullum fuerit discrimen seu distinctio graphica inter *U* et *V*, difficultates quaedam exortae sunt in enuntiatione seu elocutione verborum, ut notat E. ORTH: «Helmantica» 8 (1957) 99 et TH. BIRT, *Sprach man AVRUM oder AURUM?* «Rhein. Museum» 52 (1897); W. CORSEN, *Ueber Aussprache: Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache I* (Leipzig (1858) 632.

Saeculo tamen XVI vertente signum speciale ad *l* et *V* consonas nondum inductum erat, ut ex Vive nostro colligi potest, qui ait *vocales quinque sunt in vocabulo hispano o u e i a*, id est OVEJA⁷.

Attamen cum latina vocabula quae per *i* et *u* scribebantur nec eandem semper vim haberent (quandoque enim de vocali, quandoque de consona agitur) nec unam eandemque ducerent originem, prudenti quidem consilio Petrus ille Ramus⁸ anno 1562 *j* et *v* consonas induxit et a vocalibus *i* et *u* distinguendas proposuit. Consilium felici omine prodiit, adeo ut scriptores ubique terrarum civitate has litteras donaverint et per aliquot saecula praevaluerint.

Sed, o levitas hominum et inconstantia! Quae litterarum *J/V* ab *I/U* distinctio in honore fuit cadere coepta est iterumque renasci dixeris qui jam ceciderat earundem litterarum usus haud distinctus; ideoque, ut nunc se res habet, varia diversaque sunt scriptorum placita. Aliis priscorum vestigia sequentibus placet «*iuvenes*» scribere; alii cum Ramo novatore «*juvenes*» scribunt; alii vero utramque consuetudinem cohaerentes confusionem gignunt cum «*iuvēnes*» scribere malunt.

3. *Recentiorum scriptorum varii usus.*

Unde tres quasi scholae inter nostrae aetatis scriptores coortae sunt, quarum primam *iuvenistam*, alteram *iuvēnistam*, tertiam *juvenistam* diceres.

a) *Iuvenismum* profitentur in primis Itali, quibus «*j*» quid mirum sonat, utpote quod id signum in italica lingua numquam sit receptum. Magna quoque pars scriptorum qui hodie cogitata sua latine exprimere satagunt, eandem viam inscii consciive sequuntur. Sunt etiam nonnulli commentarii de litteris classicis qui hunc usum retineant, videlicet: «*Latinitas*» in Civitate Vaticana, «*Les Études Classiques*» Namurci in Belgio, «*Aevum*» Mediolani in Italia, «*Rivista di Studi Classici*» Augustae Taurinorum, cet.

7. VIVES, *Dialogos latinos*, Barcelona, Edit. Poliglota, 1930, p. 38: *Lectio*: «Unaquaeque istarum vocatur littera: ex his quinque sunt vocales, *a, e, i, o, u*, quae sunt in vocabulo hispano *o u e i a*, quae est ovis. Memineris huius verbi».

8. De Ramo grammatico et philosopho nonnulla invenies in DEZOBRY - BACHELET, *Dict. de Géographie et d'Histoire*, Libr. Delagrassé, Paris, 1876, VII édition: «Ramus, en français La RAMÉE (Pierre) célèbre philosophe né dans Vemandois vers 1502, m. 1572... Les principaux ouvrages sont: In IV libros Georgicorum et in Bucolica praelectiones (1555-1556), «*Ciceronianus*» (1556); *Scholae Grammaticae Libri II* (1559), *liber de moribus veterum Gallorum* (1559-1562), *Grammatica Latina* (1558), *Grammatica Graeca* (1560), *Grammaire Française* (1562) où il propose quelques réformes orthographiques, qui ont été conservées, entre autres, la distinction de l'*u* et du *v*, de *i* et du *j*... En 1562, Ramus présenta à Charles IX un plan pour la réforme de l'université. Les persecutions l'y suivirent. On alla jusqu'à lui faire un crime de la façon dont il prononçait les mots *quisque* et *quamquam*...».

b) *Iuuenistas* invenies praesertim inter scriptores commentariorum majoris momenti, ex. gr. «Revue des Études Latines» Lutetiae Parisiorum, «Emérita» Matriti in Hispania. Haec quoque ratio scribendi adhibetur plerumque optimo quidem consilio in editionibus criticis auctorum classicorum.

3) Nobis autem cum *juvenistis* remanere placuit et tritam servare viam qua omnes scriptores superiorum saeculorum, post Ramum novatorem, laeti et sine discrimine, iter fecerunt. Hanc viam retinent litterarum classicarum commentarii, ut PALAESTRA LATINA Barcinone in Hispania, «Vita Latina» Avënnione in Gallia, «Helmántica» Salmánticae in Universitate Pontificia.

Sunt denique qui impudenter et sine religione litteras *J* et *V* ad libitum adhibeant vel rejiciant, quod nemini probandum censemus.

4. *Sententia nobis tenenda.*

Quid ergo? Tametsi video quot quantique viri in nos exsurgant quantaque tempestas invidiae nobis impendeat, quidni nostram in hac re adserere sententiam eamque ad trutinam afferre audeam? Atque in primis hoc aperte profiteri liceat, me pro justa et legitima causa decertare, neque numquam adeo vetustorum amatorem praebuisse ut ab aptiore, firmiore, utiliore scribendi ratione inconsulto differre atque avertere patiar.

Quia re vera haec scribendi ratio est aptior, firmior, utilior. Aptior enim, firmior, utilior scribendi ratio non in eo est ut «*J*» rejiciamus dum «*V*» retineamus. Quia nonne utrique eadem est ratio? nonne eadem statera «*J*» et «*V*» pensanda? Ego equidem si sententiam rogarer inter *ijuvenistas* et *ijuvenistas* proferendam, re attente considerata, pro his certo starem qui utrumque et «*J*» et «*V*» ab scriptione amandant. Sibi ergo non constat bonus F. ANTOINE *ijuvenista* cum, vera falsis remiscens, haec scribit:

Les lettres I et U jouaient dans l'alphabet latin un rôle double: elles étaient à la fois voyelles et consonnes. I voyelle=notre i, I consonne=notre j; V voyelle=notre u; V consonne=notre v. Il y a, en effet, entre i et j, u et v, une grande affinité. L'emploi de deux lettres différentes pour représenter le son voyelle et le son consonnantique de j et de v est une invention du XVII siècle⁹. Il n'y a aucun inconvénient à conserver, pour la commodité de l'écriture, u et v. Il faut seulement nous rappeler que cette distinction est tout à fait conventionnelle et arbitraire, et ne repose sur aucun fait historique. Mais le signe «j» est absolument étranger à l'antiquité, et il faut le rejeter des textes latins, d'autant plus que cette lettre est parfaitement inutile¹⁰.

At inutilis littera *J*? Ita plures autumant et graves scriptores¹¹. Sed inu-

9. Nequaquam saec. XVII, sed saec. XVI: anno videlicet, 1562

10. F. ANTOINE, *Manuel d'Orthographe Latine*, Paris, Klincksieck, 1881, p. 5.

11. Cfr. ex. gr. MAROUZEAU, *Introduction*, p. 16; BIBLIC., p. 14; MÜLLER, p. 12: «Nos servata *U* vel *u* ad ambiguitatem quorundam verborum tollendam abdicabimus *J* et *j*, quae plane sunt supervacaneae».

tile quod desiderarunt Romani, quodque sedulo servant linguae vernaculae, et ipsi philologi ad orthographiam phoneticam sibi vindicant?

Atque re vera Romanos I consonam desiderasse certissime constat, quod supra dixi.

Praeterea si Italiam linguam excipias, ceterae linguae «j» litteram sedulo retinent. En exempla:

Ling. Latina	hispana	gallica	germana	anglica	itala
juvenis	joven	jeune	Jung	young	giovane
jocus	juego	jeu	—	joke	gioco
judex	juez	juge	—	—	giudice
jugum	yugo	joung	Joch	yoke	giogo
jungere	juntar	joindre	—	to join	aggregare

Quod plane patet si nomina quaedam virorum et mulierum propria attente consideremus et inter se conferamus, ex. gr.:

Ling. Latina	hispana	gallica	germana	anglica	itala
Jesus	Jesús	Jésus	Jesus	Jesus	Gesù
Jacobus	Jacobo (Jaime)	Jacques	Jakob	James	Giacomo
Joachim	Joaquín	Joachim	Joachim	Joachim	Gioacchino
Jeremias	Jeremías	Jérémie	Jeremias	Jeremy	Geremia
Josephus	José	Joseph	Joseph	Joseph	Giuseppe

At haec nomina minime sunt latina. Certo, sed ea in lingua latina jam pridem civitatem acceperunt, ideoque vim quandam probationis praebent, immo a lingua latina in vernaculas linguas hae voces promanarunt. Unde res quidem mira esset nunc latine nos littera J sublata haec nomina scribere (*Iesus, Iacobus, Iosephus*), eademque servata littera J communiter scribere in hodiernis linguis (*Jesús, Jacobo, José*). Quae praesertim ratio cogit cum de lingua germanica agitur, quia Germani solent a lingua latina propria nomina accipere sine ulla fere mutatione orthographica.

Ipsi philologi qui his temporibus J et V rejicere conantur, signum speciale inducunt in orthographia phonetica adhibendum: hoc est, i et u pro j et v (x ad sonum speciale quo Hispani proferimus $\widehat{j}$: $\widehat{xamas}$ = $\widehat{jamás}$)¹²; at nonne magis consentaneum est id quod jam fuerat usu et saeculorum consuetudine sancitum utrumque et j et v diligentius retinere? Unde non immerito clarus Edon haec notatu digna verba affert: *Bien que cette distinction a été inconnue aux latins, nous préférons sur ce point la clarté à la exactitude*¹³.

Adde quod, si ratio valet eorum qui dicunt litteras J et V esse rejiciendas quia fuerunt priscis Romanis incognitae, ex hac eadem ratione essent omnes litterae minusculae omnino rejiciendae, cum certo constet nunquam Romanos nisi grandibus, litteris scripsisse. Sed recti consilii est cedere temporibus et rerum cursui parere.

12. NAVARRO TOMÁS, *Manual de Pronunciación Española*, 6.^a edic. Madrid, 1950, p. 33: Alfabeto fonético: x = j en *jamás*.

13. EDON, *Ecrit*, p. 25.

Sed oportet diutius in hac re mente consistere. Qui litteris J et V adversantur asserunt has litteras a lingua latina rejiciendas cum ignotae omnino fuerint scriptoribus classicae aetatis. Certo vera dicunt, sed si haec ratio valet pro lingua latina, eadem ratio stat pro linguis vernaculis, quibus distinctio J et V litterarum fuit ante saec. XVI omnino ignota. Nondum enim inductae erant a Petro Ramo. Ergo si «j» littera a lingua latina ex allata ratione amandanda esset, a ceteris quoque linguis, sive hispana, sive gallica, sive germana, sive anglica, cet. rejici opus esset. At hujus consilii incommodum quis non videat?

II. — SENTENTIA DE «j» ET «v» RETINENDIS TESTIMONIIS CONFIRMATUR.

Neque desunt viri clarissimi qui litteras J et V retinendas propugnent. Atque in primis ANTONII MEILLET, magistri egregii, verba graviora afferamus, qui contra *iuvenistas*, J et V litteram aut utramque retinendam aut utramque rejiciendam censet. Suam in hac re sententiam ita exprimit:

*Le latin a été reproduit tel quel, sans aucune part d'interprétation, par suite sans distinctions de i et j, u et v; dans beaucoup d'ouvrages, i voyelle et i consonne sont également notées par i, tandis que u voyelle est noté par u, et u consonne par v; cette différence n'est pas justifiable, il faut conserver la graphie originale ou faire la distinction de la voyelle et de la consonne dans les deux cas également*¹⁴.

Audiamus quoque ANTONIUM BACCI, Consilii «Latinitatis» in Civitate Vaticana Praesidem¹⁵:

«Plurimi hodie Latinitatis scriptores litteram j / J renuendam putant; nec desunt quoque qui litteram v minutam reiciant. Quamobrem in eorum libris legitur: *iam, iudicium, ius, Iulius...*; atque quidem: *uidere, uiuere, uocabulum, ulta, Ouidius...* Hoc quidem idcirco faciunt, quod asseverant in antiquissimis codicibus neque j / J inveniri neque u a littera v differre; sed haberi tantum V, cum in scribendo grandes litterarum formae adhibitae fuerint; u autem solummodo, cum codices minutis fuerint litterarum formis exarati; quod quidem verum est. Attament, etsi litterae j / J, itemque v minuta decursu temporum tantummodo in usum inductae fuerint, ac deinceps doctorum virorum opera a litteris i et u distinctae sunt et non promiscuo modo usurpatae, id profecto non sine causa, non sine ratione evenit. Etenim i et u «vocales» sunt, ut grammatici dicunt, cum contra j et v «consonantes» sint habendae, atque adeo utiles videantur ad verborum scriptionem satius ac nitidius decernendam. Meo igitur iudicio, tum solummodo, cum veteres codices consulto referuntur, eis utique signis adhibendi sunt, quibus reapse iidem exa-

14. ANT. MEILLET, *Intr. à l'étude comparative des langues indo-européennes*. Paris, Hachette 1937, 8, edic., pag. 11.

15. BACCI, *Lexicon*, Edit. tertia, Romae 1955, pp. V-VI.

rati fuere; sed cum nova excuduntur volumina, illis litterarum formis eadem componi opportunum est, quas aptior hodie ac clarior postulat scribendi ratio. Cur vero non pauci litteram *j* renuant, qui contra *v* minutam usurpent, non satis patet: eadem enim de causa, si prior respuitur, altera quoque respuatur oportet; si vero altera probatur, priorem etiam probari consentaneum est. Ad me autem quod attinet —ii mihi parcant, qui tam subtili investigatione antiquissima scripta perscrutantur— potius quam palaeographiae, Latinitati studeo, ac magis quam aridam vetustatis eruditionem, optimarum pro viribus excolo litterarum humanitatem».

Notatu quoque digna sunt verba philologi nostri GONZÁLEZ DE LA CALLE, cum ait¹⁶:

Porque no debemos prescindir del fructuoso resultado de la diferenciación gráfica, mayormente cuando con ella no falseamos, sino que acusamos con mayor relieve la distinción fonética... Nos parece tocada de un cierto carácter de nimiedad la pretensión de dar carácter de vetustez a un escrito trazando palabras como éstas: uos, uobis, iugum... No cabe desconocer que con semejante resultado. se abre el camino a una serie de lamentables confusiones, puestas de relieve y reconocidas por no pocos profesionales de la Gramática.

Ceterum, sunt qui nobiscum *j* et *v* in scriptione latina retineant. Satis sit haec pauca nomina afferre: FORCELLINUS-PERIN, Patavii in Italia¹⁷; EDON¹⁸, NIEDERMANN¹⁹, ERNOUT²⁰, in Gallia; PUSTET, librorum liturgicorum castigatissimus editor Ratisbonae in Germania²¹; Barcinone clamus. JOS. LLOBERA, S. J., *Grammaticae Classicae Latinitatis* auctor egregius²²; JOS. MIR, «Palaestrae Latinae» moderator; HENRICUS BASABE, commentariorum q. i. «Perficit» moderator; JOS. GUILLEN²³; STOLZ-DEBRUNNER²⁴ alique.

16. GONZÁLEZ DE LA CALLE, *Varia*, p. 116.

17. FORCELLINUS PERIN, *Totius Latinitatis Lexicon et Onomasticon* 6 vols. Patavii 1950. Retinent quoque *J* et *V* litteras lexicographi plurimi: GAFFIOT *Dict. illustré Latin-Français*; QUICHERAT-CHATELAIN, *Dict. Français-Latin*; A. BLANQUEZ FRAILE, *Diccionario Latino-Español*, Barcelona, Sopena, 1950.

18. EDON, *Ecrit.*, Paris, 1882.

19. NIEDERMANN, *Phonétique*.

20. ERNOUT, *Morphologie hist. du latin*: In indice retinet litteras *j* et *v*. De hac re scripsit Marouzeau, REL 31 (1953) 401.

21. PUSTET (Ratisbonae in Germania): *Rituale Romanum* (19 7), *Missale Romanum* (1937), *Breviarum Romanum* (1940).

22. LLOBERA, *Gramm. Class. Lat.*

23. J. GUILLEN, *Grammática Latina*, 2.^a ed. Salamanca 1956.

24. STOLZ-DEBRUNNER, *Geschichte der lateinischen Sprache*, Berlin 1953.

III. — ERGO «j» ET «v» IN SERIE LITTERARUM LATINARUM RETINENDAE.

Ergo stet doctrina et usus quem a diligentissimo Emm. Jové, magistro et «Palaestrae Latinae» conditore accepimus²⁵, litterasque *j* et *v* retineamus, quae sonum exprimant consonantium *i* et *u*. Vecordis enim est, cum duplicem jam signum habeamus, nunc iterum ad tempus illud regredi, quo duplici sono, vocali et consonanti, unum tantum signum parum apte adhibebatur.

Licebit tamen quandoque cum iuvenistis litteris *i* et *u* vim consonae tribuere; sed venia haec data sit sumpta pudenter, nempe:

1) Cum certo consilio et ratione adhibeantur velut irridendi causa, vel ad imaginem quandam antiquitatis sententiis reddendam.

2) Praeterea in verbis proprie graecis. Apud Graecos enim *I* semper vocalis est, unde *iambus*, *iaspis* trissyllaba sunt verba.

3) Etiam cum per diaeresin *j* et *v* vocales fiunt.

4) Simili ratione cum per synaeresin *i* et *u* vocales consonae fiunt, potius *j* et *v* quam *i* et *u* scribendum putarem.

5) Demum cum necesse sit nos ad orthographiam historicam scriptio-nem aptare; h. e., in editionibus criticis, in scientificis notulis, in scriptorum propriis verbis afferendis, cet.

6) Praesertim in pangendis inscriptionibus, ut fere omnes non modo veteres, sed recentiores etiam Latinitatis scriptores optimi solent, teste Antonio Bacci²⁶.

Hoc tamen, quod plerumque fit, vitandum est, ne novitate tantum allecti «j» et «v» litteras a lingua latina rejiciamus, cum ex earum usu tot com-moda orthographiae latinae proveniant.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C, M. F.

25. Jové, «Candidatus Latinus», n. 11, p. 4. — Cf. El P. Manuel Jové notable latinista, «Helmántica» 4 (1953) 49-50.

26. A. Bacci, *Lexicon*, Editio tertia, Romae 1955, p. VI.

CARMINA GEZELLIANA

Guido Gezelle, saeculi prioris praecipuus Flandriae¹ poëta romanticus, natus est Brugis² anno 1830, parentibus sane humilibus.

A matre plentissima sed admodum taetrica animum religiosissimum, nimis tamen timidum et melancholicum traditum habuisse videtur. Quo factum est ut ea semper affabilitate careret qua homines maxime inter sese non sine mutua jucunditate colligantur. Quam caram autem Materculam habuerit vel ex hīsce paucis versiculis conicere liceat:

- | | | |
|--------------|-----------------|------------------|
| 1. Effigies | 2. non tabula, | 3. O numquam, te |
| nec lineis | non statua, | indignus, hanc |
| descripta mī | non lumine | imaginem |
| nec picta | prolata, | pervertam |
| de te, mea | sed tantum quae | sed puram in |
| matercula, | imago est | me teneam |
| in terra est | in corde mī | ad mortem usque |
| relicta; | servata. | insertam. |

Hortulani filius a tenerrimis unguiculis tanto simul amore naturae imbutus est uti postea, cum consuetudinem hominum sibi molestissimam saepius effugere quaereret, ad bestiolas, herbulas, rivulos, optimos animi vexati consolatores Deique, supremae suae spei, praecones iterum iterumque sese conferre properaret. Audi, candide lector, poëtam gyrinos natantes bestiolas minimas, adloquentem:

- | | |
|----------------------------|-----------------------------|
| 1. In gyros dum natitas | in gyros torqueri. |
| super aquas limpidas | Sed nec crus, nec brachium |
| nigra veste tectus, | cerno: merum globulum |
| libens tuos, pusio, | video moveri. |
| circulorum video | |
| flexuosos nexus. | 3. Dic tandem, quid fueris, |
| | quid sis vel futurus sis, |
| 2. Vivis, natas, cursitas, | cur sic torquearis. |
| heja, quantum properas | Mira res: nam cursitans |

1. FLANDRIA: Pars Belgii aquilonalis. Meridionalis Vallonia appellatur.

2. BRUGAE: (Flandrice BRUGGE, Francogall. et anglice BRUGES) caput provinciae Belgicae Flandriae Occidentalis. Urbs peregrinatoribus notissima propter «berefredum» mediaevalem, canales intra urbem admissos noctuque illuminatos, stagnum amantium necnon et Ludum de Sanguine Christi. Venetia Septentrionalis vocatur.

- et in aqua scriptitans
numquam fatigaris.
4. Sed quod ita sedulo
scribis, non invenio,
statim evanescit:
aurae levi similis
super aquam graderis
vix quae contremescit.
5. Hinc et inde comites
tuos, aequae celeres,
pari cum ardore
scriptitantes video.
Hercle, non intelligo
Quid sit hoc in more.
6. Scribis et rescribis... quid?
Scribitur et aufugit,
legere non datur.
Quis tandem qui sapiat
hoc aenigma capiat?
Quid significatur?
7. Scribis de pisciculis?
Forsitan de flosculis?
De ventorum flatu?
Vel scribendo praedicas,
- avium quam gaudeas
dulci pipiatu?
8. An laudas caeruleum
alti caeli speculum,
super quod moveris?
Anne... de te scriptitas?
Dic tandem! Respondeas!
Quid est cur graveris?
9. En! Consistit paululum
inceptumque circulum
linquit imperfectum;
ac sic fari incipit,
dum ex aqua erigit
verticem humectum:
10. «Scribo —atque scribimus
cuncti, quot hic adsumus
gyrini natantes—
unam rem, quam docuit
Idem Qui nos genuit.
Ipsam collaudantes.
11. Scribimus —non perspicis?
Stulte, non intelligis
sensum scripti mei?—
scribimus, rescribimus,
sanctum nomen Dei.»

A patre quoque amorem erga populares suos sermonemque nativum Flandricum didicisse constat. Quae ei altera causa fuit inimicitiarum. Illo enim tempore Belgii gubernatores, Francogallico sermoni faventes, Flandricum penitus extinguere studebant.

Noster autem poeta, postquam anno 1854 sacerdos consecratus est, biennium munere professoris litterarum fungebatur Rollarii, in oppidulo valde rustico³. At quoniam discipulos nimio sermonis nativi studio incendit —quippe cuius usus tum in scholis vetaretur— a cathedra ad paroeciam semotus est. Capellanus igitur creatus Brugis, postea Cortoriaci⁴, maestitia summa obrutus et quasi quodam maerore sacerdotali submersus, quindecim

3. ROLLARIUM: Fl. *Roeselare*, Fr. *Roulers*.

4. CORTORIACUM: Fl. *Kortrijk*, Fr. *Courtrai*. Ad Lisiam (*Leie*, *Lys*) flumen.

annos solitarius peregit. Nec tamen curam animarum neglexit, immo vero ita semper habuit ut nonnumquam urbis suae rixis politicis implicaretur.

Sensim tamen, dum carmina alios ex aliis amicos ei conciliant, vitae animique nubila serenabantur. Publice tandem honoratus non tantum apud cives suos Flandricos, verum etiam a Batavis, quibuscum communi sermone Flandrenses conjuncti sunt. Adlectus itaque inter sodales Academiae Regiae Flandricae (1886) et Societatis Leidensis Litterarum Batavarum (1890). Doctor quoque honoris causa creatus Universitatis Lovaniensis et ab episcopo suo Brugas revocatus ad munus valde honorificum, paucos —heu!— post menses diem supremum obiit, anno 1899.

Carmina Gezelliana lyrica, quibus naturam, Deum, populum animumque suum cantavit, celeberrima apud Flandros Batavosque innumeris jamjam editionibus divulgata sunt. In scholis leguntur, in circulis pronuntiantur, in ecclesiis cantantur. Unus fere poëta qui a doctis simul et ab illitteratis observatur, amatur, colitur.

Vehementer itaque gratulandum Doctori H. Vroom, viro doctissimo Batavo quod poemata nonnulla pulcherrima mirabili ingenio latine reddidit. Horum pleraque, ne quid e Flandrico 'authentico' periret, rhythmicè, non metricè conversa cum legis, non Vromium sed ipsum Gezelliū latine cantantem putaveris. Gratissimum igitur Latinis lectoribus fore censui paucula de libello Vromiano⁵ deprompta hic offerre. Accipias igitur, lector benevole post Materculam et Gyrinum, hoc GAUDIUM.

O, sunt adhuc in vita, quamvis rari,
sunt dies, qui praebent laetitiam!
Et rebus omnibus velim orbari,
vel unum talem ut recipiam,
Quo Te, mi Deus, habeo, Te gusto,
Te porto, meimet inconscius,
quo semper, corde nulla re onusto,
ingemino: «Tu mihi unicus!»
O mecum maneat, sol claritatis,
o, in me maneat, me repleas.
O mane mecum: cuncta vanitatis
sunt plena extra Te — Tu veritas.
Tu mi solamen, quando nil solatur,
Tu juvas, cum me omnes deserunt,
Tu gaudium, cum gaudium non datur,
«Halleluja», dum cuncta ingemunt...

5. Ed. P. Brand bibliopola (Bussum, Hollandia 1955).

Plura sunt quam quae hoc loco proferri possint. Audi tamen adhuc Vesperum susurrantem:

Cuncta silent... immotus adest sine murmure vesper;
secessit —nullo percipiente— dies.

Vesper adest; lenem videor cognoscere vocem:
«Sit requies! en, vesper adest! fas mittere curas».

Aut illà intìmiòra:

Cor tuum si patet
quidquid vivit loquitur,
quod in levi latet
murmure, percipitur:
arbor foliorum
personat sermonibus,
undulae rivorum

garriunt cum risibus,
aër, pratum, venti
—sanctae Dei semitae—
abditum placenti
Verbum pandunt carmine...
Cor tuum si patet.

sive pictam quasi imagunculam:

Aestatis folia
quam cito delabuntur!
Olim viridia
jam humi prosternuntur
languentia!

Quam tristes, arbores,
quam nudaè hic adstatis,
dudum quae decora
longe lateque eratis
pulcherrima...

Veram illustrissimi vatis vocem, ab interpretatore minime corruptam, verum miro modo servatam ex his paucioribus versiculis percipimus. Placeat, spero, lectoribus Latinis sicuti nostratibus.

Scripsi Antverpiae, mense Februario, anno 1958.

J. IJSEWIJN

*Petitor Foundationis Nationalis
Regni Belgici ad Investig. Scientif. proveh.*

DE DEMOCRITO

(C. 460 - C. 370)

I. — DEMOCRITUS QUIS FUERIT

Disciplinae atomorum princeps fuit DEMOCRITUS Abderites (c. 460 - c. 370); natus in urbe Abdera Thraciae capite, e ditissima gente oriundus, multa itinera fecit, quibus magna argenti copia opus erat; propterea huiusmodi excursions et peregrinationes «scientificae», quales Democritus iniit, tum rarissimae et mirandae erant. De omnibus naturae rebus inquisitiones aggrediebatur ut novas cognitiones acquireret et leges physicas constitueret; profectus est ad Persas et Aegyptios ubi quinque annos versatus est ut litteris sacerdotum maximeque geometriae et astronomiae studeret; praeterea, Athenas se contulit ubi nemo eum agnovit; Siciliam deinceps adiit atque Magnam Graeciam ubi Pythagorae familiariter usus est; omnium philosophorum priorum et aequalium scripta certe noverat, ut vetera problemata solveret et nova sibi solvenda poneret; ille ipse tot fere opera reliquit quot Plato Atheniensis (427-347); neque tamen dialogos neque mythos neque versus hexametros didacticos composuit.

Democriti scripta plurima collegit, et tetralogiis (=quaternis libris in unum volumen conjunctis) compluribus ad varias scientiarum disciplinas distributis edidit Thrasyllus Aegyptius, qui familiariter Tiberio imperatore (14-37 p. Chr. n.) utebatur, et in insula Rhodo astrologi munereungebatur. Idem Thrasyllus doctrinae Platonicae et neopythagoricae adhaesit atque ingenio liberali opera Democriti tam jejuna ac sicca eodem amore ac Platonis loquaces sermocinationes magni habuit memoriaeque tradidit; ex quo patet etiam Lucretium Democriti libris nonnullis uti potuisse; philosophi Abderitae studia ad moralia, physica, aetiologica, mathematica, musica, technica volumina redacta sunt; illa «aetiologica» quadrant optime ad Strabonis dictum: αἰτιολογικὸν καὶ Ἀριστοτελεῖον, nam Aristoteles natione Thrax, ut ille Abderita, ratione causas rerum investigandi sucesor verus Democriti fuit.

«Res mentiri non possunt», quod effatum Stagirita aliquando protulisse dicitur, et Democrito fundamento omnium animadversionum rerum naturae fuit, etenim scrutator rerum occultarum idoneis siderum caeli et animorum cursus prudentissime indagabat et numeris figurisque ornabat; res conspicuas, non notiones seu «ideas», neque spectra sectabatur; otio abundans permultas quaestiones easque varias deliberare poterat, id quod una vitae voluptas erat Democriti; quia de mundo universo, non de aliqua re publica peculiari cogitabat, perturbationibus civitatum animo non commovebatur;

quapropter senuit ad centum fere annos; etiam multis rerum disquisitionibus aetatis flore usque ad vitae exitum fruebatur; κόσμος, non πολιτείᾳ vivebat vir singularis Democritus.

Jam ratio, quae inter Democritum et Platonem intercesserit, digna est, quae uberius tractetur: uterque caelebs, divitiis maximis praestitit, quibus Democritus ad peregrinationes scientificas perficiendas, Plato ad Academiam condendam usus est; amplitudine autem ingenii valde inter se dissimiles fuerunt; Abderita plus ingenii quam efficientiae habebat, Atheniensis plus auctoritatis et gloriae quam intellegentiae prae se ferebat: Plato primo homo politicus erat atque etiam postea propenso animo rei publicae favebat: Democritus vero a rebus publicis prorsus abstinebat, ut numquam de re publica disputaret: Atheniensis ut poëta fuerat, «utopiis» favens; contra vir Thrax, rerum naturae consecrator et materiae inserviens, rerum visu tactuque manifestarum semper rationem habebat; Democritus Platoni numquam vias ad res proprio modo cognoscendas aperuit, quia soli socii Academiae Platonem scientiis adjuvabant; Democritus «nemo», inquit, «me cognovit cum Athenas venissem», unde erui licet ne Platonem quidem umquam nomen Democriti audisse neque nosse optavisse; re vera Abderites modo cogitandi et laborandi contrarius Platonis erat et omnino Anti-Platonicus; Academicus ille Atheniensis, qui erroneam doctrinam de rerum cognitione pro notionibus seu «ideis» summo studio obtinebat, numquam novam scientiam condere poterat, immo solum animadversiones communes longis circuitibus saepe nebulosis exponebat et cogitationibus, non sensibus fidem habebat; Democritus autem rebus naturae nisus recta via sine ambagibus ratiocinabatur, non sermocinabatur; Plato ipse non erat mathematicus, sed ab amicis sodalibusque Academiae ut a Theaeteto Atheniensi et ab Eudoxo Cnidio adjutus nonnullas res mathematicas, exempli gratia, non autem ut fructum suae cogitationis protulit; ratio deinde docendi Platonica numquam ad finem perspicuum, certum, lucidum intendit, sed veritatem rerum celavit; nobilissimus ille Atheniensis Socratem scientiarum expertem, consiliorum moderatorem admirabatur, quae admiratio Socratica maximus Platonis error fuit; Aristoteles virtutem et vim ingenii Democriti ab oblivione servavit et in integritatem efficacissimam ad complura saecula restituit, ut Tiberio imperatore denuo Thrasylo auctore renasceretur; hic unus homo Democritus solus tot opera summi momenti protulit, quot tota Academia Platone vivo efficere nescivit; felicissime Democritus potuit rerum cognoscere causas.

Post Aristotelem miro quodam casu accidit ut Epicurus (342-271) scientiis non adeo favens neque fecundus incredibili admiratione erga Democritum affectus Abderitae doctrinam de atomis planissime in dogmata sua recepit et Thracis euthymiam, id est «*virtutem hilaris animi*», summi fecit, quae animi virtus egregie cum Epicuri «hedonismo» conveniebat; sic Epicurus quasi vates Democriti factus est. Lucretius postremo (98-55 a. Chr. n.), Epicuro auc-

tore, in carmine «de rerum natura» 3, 371 et 5, 622 alacriter laudavit Democritum («Democriti quod sancta viri sententia ponit»); praeterea 3, 1039 («Democritum matura vetustas admonuit»; ex opere Abderitae μικρὸς διάκοσμος multa Epicurus sumpsit et Lucretius in carmine versibus heroicis ita reddidit, ut opus Romanum breviter «cosmologia Democritēa» (cum nonnullis ornamentis italicis) vocari possit; Lucretius ipse poëta aetiologicus dignus est qui nominetur.

Ad extremum, libri afferuntur, quibus vita et doctrina Democriti diligentius cognosci possint:

DIOGENES LAERTIUS 9, 34-49.

H. DIELS, *Doxographi Graeci* (Berolini 1879) 484, 2.

H. Diels-W. KRANZ, *Die Fragmente der Vorsokratiker*, vol. 2 (Berlin-Weidmann).

E. ZELLER, *Die Philosophie der Griechen*, I 2 (Leipzig 1920), «Die Atomistik» pg. 1038-1194.

W. SCHMID, *Geschichte der griechischen Literatur* (Muenchen 1948) pg. 236-349 «Demokritos».

KATHLEEN FREEMAN, *The Pre-Socratic Philosophers* (Oxford 1953) 289-326.

II. — DEMOCRITUS QUID DE ATOMIS DOCUERIT

Primus antiquorum auctor Aristoteles de Democriti doctrina atomistica rettulit haec in opere «*metaphysica*» I pg. 985 b 15-17:

διαφέρειν γάρ φασι τὸ ὄν ῥυσμῶ καὶ διαθι-
γῇ καὶ τροπῇ μόνον. τούτων δὲ

ὁ μὲν ρυσμὸς σχῆμά ἐστιν,

ἡ δὲ διαθιγὴ τάξις,

ἡ δὲ τροπὴ θέσις.

διαφέρει γάρ

τὸ μὲν Α τοῦ Ν σχήματι

τὸ δὲ ΑΝ τοῦ ΝΑ τάξει,

τὸ δὲ Ι τοῦ Η θέσει.

differre enim ajunt (Leucippus et Democritus 985 b 4) ens dumtaxat rismo (= tractu figurandi), diathige (= ordine contiguo), trope (= situ converso); quorum est

rismus quidem tractus figurae,

diathige vero ordo contiguus,

trope autem conversio situs;

differt enim

A ab N figurá,

AN vero ab NA ordine,

I autem ab H situ.

Hoc igitur loco Aristotelis tres atomorum causae a Democrito acceptae dicuntur: figura, ordo, situs.

Multis autem saeculis post Aristotelem ad hunc locum: supplendum ali-quod fragmentum satis magni momenti inventum est, quod usque ad tempora nostra parum cognoscebatur; exstat scriptum in eo libello quem GEORGIUS HELMREICH ita inscripsit: *Handschriftliche Studien zu Galen* (Ansbach, 1910), pg. 10, cujus initium incipit hoc modo: 'Ο Δημόκριτος ἔλεγε ταῦτα δὴ τὰ πέντε

ἀνθηρικά ὀνόματα: ἔν, μηδέν, ρυσμόν, τροπήν, διαθιγὴν = «Democritus haec igitur quinque nomina ad ἄνθηρα (= *lineamenta* vel *limites* vel *margines*) significanda dicebat: unum, nihil, *figurae* tractum, *situs* conversionem, *ordinem* contiguum». Hanc introductionem novi fragmenti sequitur explicatio scholiastae ignoti, qui hisce verbis Democriti ipsius nititur:

ἐν μὲν ὀνομάζων τὰς ἀτόμους,	<i>unum</i> nominabat atomos,
μηδέν δὲ τὸ κενόν,	<i>nihil</i> autem id quod inane est,
ρυσμόν δὲ τὸ σχῆμα αὐτῶν.	<i>tractum</i> linearum figuram earum (= atomorum).
ἔλεγε γὰρ ταύτας διαφέρειν τῷ σχήματι	dicebat enim has (atomos) differre ea figura
τῷ τὰς μὲν αὐτῶν εἶναι τριγώνους,	qua aliae earum (atomorum) <i>triquetrae</i> sunt,
τὰς δὲ κυβοειδεῖς,	aliae <i>tessellatae</i> ,
τὰς δὲ ἀγκιστροειδεῖς,	aliae <i>hamatae</i> ,
τὰς δὲ σφαιρικός.	aliae <i>globosae</i> .
ἔλεγε δὲ καί, ὅτι πολλῶν σφαιρικῶν συνηρχομένων γίνεται τῷ πυρὶ σχῆμα.	dicebat etiam multis (atomis) globosis coalescentibus igni figuram fieri.
τροπήν δὲ τὴν θέσιν ὀνόμαζε	<i>situs</i> conversionem positionem nominabat
τῷ τὰς μὲν εἶναι πρόσω,	(ea figura) qua aliae (atomi) in fronte sunt,
τὰς δὲ ὀπίσω,	aliae a tergo,
τὰς δὲ δεξιά,	aliae ad dextram,
τὰς δὲ ἀριστερά.	aliae ad laevam.
διαθιγὴν δὲ τὴν τάξιν	<i>contagium</i> autem (nominabat) ordinem
τῷ τὰς μὲν εἶναι πρώτας,	(ea figura) qua aliae (atomi) primae sunt,
τὰς δὲ δευτέρας.	aliae secundae.

Quae verba Democriti jam breviter explananda sunt; primo vocabulum ἀνθηρικών est adjectivum a nomine ἄνθηρον derivatum, quo substantivo plerumque numero plurali usurpato structura linearum vel longitudinum circumscribitur; ἄνθηρα (= *Rand einer Flaeche*) enim sunt fines vel limites; ἀνθηρικά ὀνόματα sunt voces quae ad ἄνθηρα (= *lineamenta* vel *fines*) designanda pertinent; scribendum est ἀνθηρικά, non ut reddidit G. Helmreich, pg. 10, 1 ἀνθηρικά quam scriptionem Byzantinam Helmreich non intellexit, quamquam littera η eādem vi est atque ει; vox ἄνθηρα est notio agriculturae, quapropter bene ad atomos, elementa terrae, circumscribendas convenit, et est vocula satis rara ideoque elocutioni Democritēae commoda; his quinque nominibus figurae atomorum adumbrantur, ut Democritus docet, cujus doctrina atomo-

rum in fundamento mathematico ponitur; ille philosophus Abderites mundum ex duabus partibus compositum esse existimat, quae sunt ἔν et μηδέν; illud ἔν sunt omnes atomi simul; praeter atomos datur spatium vacuum id est «inane» vel «nihil», figuris finitur quae μηδέν vocatur; ut atomi figuris distinguuntur, ita vacuum vel inane; nam ibi, ubi atomi esse desinunt, vacuum formari incipit; nempe atomi et vacuum sunt conceptus reciproci, ἔν et μηδέν sese complent ad unum mundum construendum. Figurae deinde atomorum (Cfr. ARISTOTELES, *De Anima* 404 a 2. 11. 405 a 11) hoc modo secundum Democritum fiunt; tres figurarum atomorum species sunt hae: ρυσμός, τροπή, διαθιγή; (a verbo ἐρύω = traho lineas) differt a nomine ρυθμός (a verbo πέω = fluo); ρυσμός igitur est tractus linearum vel figuratio finium spatii vel corporis; ex hoc ρυσμῶ quattuor figurae atomorum distinguuntur: atomi triquetrae, quae formam trianguli habent; sed re vera pyramidis modo tribus dimensionibus corporeis formatae sunt (Cfr. PLUTARCHUS, *de communibus notitiis* 39 τῆς πυραμίδος ἐκ τριγώνων συνισταμένης; deinceps atomi cubo similes, tertio atomi hamatae, denique atomi globosae.

τροπή est species figurae atomorum (a verbo τρέπω = verito), quae conversione (τροπή) accidit; in hac quoque parte quattuor positiones fieri possunt: 1. in fronte, 2. a tergo, 3. ad dextram, 4. ad laevam.

διαθιγή (quae forma constat ex praepositione διά et radice θιγή a verbo θιγγάνω = «tango» deducta) est ordo contiguus atomorum, quae inter se contagio quodam pervadenti et conectenti conjunguntur, ut consecutionem non interruptam efficiant. Sensu stricto solum tres species, non quinque τῶν ἀνδρίων in hac descriptione atomorum adsunt: ρυσμός, τροπή, διαθιγή; nam ἔν et μηδέν sunt illa objecta vel «res», quae diversis figuris exornantur. ἀνδριὰ igitur sunt structurae lineamentorum atomorum, quo vocabulo (ἀνδριὰ) natura atomorum terrestris indicatur; illa «ándera» tamquam fundamenta architecturae mundi credi possunt. Democritus spatierum figuris usus ab exteriori et spatiosa parte rerum cogitabat et atomos sibi hac ratione cogitandi fingebat. Quibus verbis ἀνδριχοῖς (fines circumscribentibus vel margines indicantibus) expositis, cogitandi ratio Democritēa ita fere illustratur: illa quinque ἀνδριχὰ nomina ad disciplinam mathematicam pertinent; ergo vir Abderites atomos more geometrico, non ratione physica factas esse optinabatur; nam ἀνδριὰ primo lineamenta formalia spatium vel corpus continentia, non elementa naturalia erant. Ut vox διαθιγή Philopono auctore in commentario ad Aristotelis librum «De Anima» pg. 68, 3 (apud H. DIELS, *Die Fragmente der Vorsokratiker*, vol. 2 (1935) pg. 72, 30) λέξις Ἀβδριτική id est: vox Democriti erat, ita fortasse etiam ἀνδριον (et ἀνδριχόν) ut λέξις Ἀβδριτική; Democritēa haberi potest. Ex his quinque nominibus ἀνδριχοῖς licet duo numerari in Aristotelis postpraedicamentis; ad *oppositionem* enim spectant haec vocabula; in fronte, a tergo; ad dextram, ad laevam; et ad illud modo subsequenti seu *successive* (quod opponitur illi «simul») pertinent «primum, secundum»; ex

hac partium enumeratione suspicari licet Democritum jam ante Aristotelem nonnulla ad doctrinam categoriarum attulisse. Philosophus Abderites mundum ejusque atomos animo fingens hanc sententiam sequitur: θεὸς αἰεὶ γεωμετρῇ = Deus semper geometria utitur. Democritus atomos voce εἷν numerali, non vocula ontologica ὄν collegit, unde elucet illum physiologum atomos corpora figurata judicasse et ipsum magis mathematice in rerum natura inquirenda cogitasse. Ad Democriti formas atomorum cf. Cicero: *De Natura Deorum*, 1, 24, 66.

Ad extremum, ex illo loco scholiastae ignoti ad Galeni librum «*De Elementis*» explicandum adhibito fragmentum Democritum simulque Porphyrianum recuperavimus; nam ad Democritum ipsum haud dubie reducendum est, ut ex primis scholii verbis cognoscitur: ὁ Δημόκριτος ἔλεγε; nescimus autem, quo in opere philosophi scriptum sit; Democriti vero de atomis doctrina quasdam res complectitur, quae non in Aristotelis «*Metaphysica*», I 4 pg. 985 b 15 17 leguntur; unde efficimus illis vocibus scholiastae novas res praeberi, quae extra memoriam Peripateticam ex alio fonte tradebantur; jam constat scientias scholiastarum aetatis Byzantinae e Porphyrii philosophi (c. 233-c. 303 p. Chr. n.) libris sumptas esse; idem profecto Porphyrius librum composuit, qui inscribitur φιλόσοφος ἱστορία inde a Pythagora usque ad Platonem pertinens; inter hos sapientes vita quoque est doctrina Democriti summo ingenio praecellentis descripta erat; quam ob rem veri simillimum est illum scholiastae locum (apud G. HELMREICH, pg. 10) e Porphyrii historia philosophiae excerptum esse.

Hoc fragmentum novum Democriti nunc re vera in corpus opinionum praesocraticorum recipiendum est, quod creavit Hermannus Diels et persecutus est Walther Kranz; in eodem textu occurrit novum vocabulum Democritum ὀνδηρικόν (a nomine ἄνδρων formatum) quod lexicis Graecitatis antiquae addatur oportet.

[AEMILIUS] EMIL ORTH

SONETTI DI MARIO CHINI¹

I

Com'è dolce svegliarsi la mattina
col sole alla finestra, ed ascoltare
delle campane a festa il dondolare,
velato un pò dai vetri e dalla trina
delle tende! La stanza, piccolina,
chiusa, non lascia i sogni dileguare;
ed il labbro si muove a dimandare:

—Quale pasqua è nell'aria stamattina?

Ma, poi che del mio viver la dolente
realtà mi sovviene, di quel biondo
sol, di quei doppi chiedo amaramente:

Quale ingiuria di luce e d'armonia
a insultar versa il cielo sopra il mondo
la tenebrosa e muta anima mia?

II

E' un ottobre che esprimere dal seno
intimo pare non so che malia
giocondatrice... Limpido è il sereno,
tepida è l'aria; ride un'armonia
di rosso e d'or nei campi; dal terreno
salgono odor maturi; per la via
passano le vendemmie; un carro pieno
di tine, spruzza mosti ed allegria.

Belle donne si affacciano cantando
alle finestre e cercan nei lontani
orizzonti dei lor sogni le porte
luminose; ma tacciono serrando
i vetri. A un soffio, che sfrondò gli ontani,
sentirono il galoppo della Morte.

1 MINO CHIARI, *Sonetti*, Milano, 1934, pp. 31, 44, 45, 47, 49, 50.

BREVIAR CARMINA M. CHINI

Latine vertit JOSEPHUS MORABITO

AD MARIUM CHINI

Agnoscasne tuos natos hac veste, poëta?
Lusimus, at placeat lusus, amice, tibi.

I. — TRISTIS HORA

*Ut me mane juvat languentis vincula somni
rumpere —primum arcet clausa fenestra jubar—
tinnitusque aeris sacrati audire cubantem,
quos vitra et minuunt pendula vela simul!
Quodque parum conclave patet, mea somnia servat
nec dilapsa foras aufugere illa sinit.
Sponte sua quaerit miro tum lingua susurro:
«Quod paschale melos nunc volitare putem?
At me vix subiit vitae tristissima imago,
illius et totum me grave pondus habet,
solem tunc roseum saevis, tunc aeris acutos
invenior verbis increpitare sonos:
«Lantane lux solis, tantus fluit undique cantus,
rideat ut tenebras tristitiamque meam?»*

II. — OCTOBER

*Ecce October adest, ignotaque promit ab imo,
quae cuncta exhilarant, gaudia blanda sinu.
Omnia laetantur: per sudum lux nitet alma,
aethere et in tepido murmura cara sonant.
Aureus in campis fessis roseusque colores
miscentur; graviter fragrat odore solum.
Tramite silvestri vehitur vindemia, currus
spargit laetitiam plenaque musta lacu.
Est quae nunc mulier cantans pulcra ante fenestram
prodeat et vertat lumina fixa procul.
Scilicet optati mundi per regna vagatur
cum tacita occludit corde micante fores.
Quid? Vix ventus agens spoliavit frondibus alnos,
Mortis persensit quadrupedantis equum.*

I I I

I monti del paese ov'io son nato
e il pian vidi più chiari, nel mattino.
I pioppi mi accennarono un inchino,
come a un amico perso e ritrovato;
 il fiume, sotto il ponte addornientato,
ebbe, tutto ad un tratto, un argentino
riso, ed il vecchio campanil, perfino,
squillando, parve giovane tornato.
Parve!... Quante illusion nei nostri cuori!
Parve!... Suonò la chiesa come prima,
sfoggiaron monti e valli i lor colori
 soliti, i pioppi svettarono al vento,
si destò il fiume... perchè scrivo in rima
e metto in carta favole, che invento!

I V

Il cuore della donna è un libro strano,
meraviglioso a contemplar di fuori,
che con sette fermagli ardui l'arcano
chiude de' suoi mirabili tesori,
 con sette fibbie ogni desio fa vano
di leggere i suoi mille ghirigori.
L'uomo non vi può stendere la mano,
senza provarne orribili tremori!
Ond'io lo guardo, pieno di paura,
e ne sto lungi, e volgo nel cervello
il mistero del libro e la natura...
Pur, se mai sforzo l'animo temente,
e mi vi accosto, ed apro... oh, il libro è bello
fuori; ma, dentro, non vi è scritto niente!

III. — FICTUM ITER

*Luce nova patrios montes camposque revisi,
 cunctaque mane aderant candidiora mihi.
 Populus, amissum veluti invenisset amicum,
 ipsa caput reduci flectere visa mihi,
 quique videbatur sub ponte quiescere, risum
 fulgidulum risit torbidus amnis aquis;
 ipsa vetus turris, quae sacro personat aere,
 visa mihi juvenis reddere facta melos.
 Visa..., at multa solent illudere inania menti..
 turris visa mihi fundere, ut ante, sonos.
 Montes et valles ostentavere colores
 quos prius, et petiit populus alta polum;
 emicuit fluvius... Verbis at ludor amoenis
 spondeosque pedes dactylicosque sero.*

IV — DE CORDE PUELLAE

*Est pectus veluti codex, mihi crede, puellae;
 si tantum cernas exteriora, novus!
 Illius ingentis praedita munera gazae
 vinclis septenis fibula firma tenet;
 hinc, legere exoptes si quae insunt signa jocique,
 septenis vinclis fibula firma vetat.
 Heu numquam ipse manum studeas protendere ad illum
 quin subito tactus corde pavore tremas.
 Hunc ego prospecto, cupio contingere, at horror
 me tenet atque manus tangere ut icta tremat.
 Multa tamen libri mysteria saepe voluto;
 adpropero, at pectus possidet ecce pavor.
 Quodsi libri audax inquirō condita, pulcher
 est liber aspectu, sed tegit ille nihil.*

V

No, Delia; non guardarmi coi grand'occhi
indagatori. Io non mi ti nascondo,
ma, per le fosche mie pupille, il fondo
della mia torbida anima non tocchi.

Dentro l'orrido baratro son blocchi
d'ombra; e non scende, a frangerli, d'un biondo
raggio il fulgore. Un nero serpe immondo
avido spia come a ferir ne scocchi.

E, se tu guardi nel cristal lucente
dell'iride, non vedi, a galla a galla,
che la beltà che il mondo vi riflette,
come nell'occhiolin d'un innocente
canario in gabbia scorgi una farfalla,
ch'esita, fuori, sulle bianche alette.

VI

Lo so, lo so, pur troppo! Io le son morto,
per sempre. Ed ero semplice, ero buono
tanto! Sapevo chiederle perdono,
pur non avendo un briciolo di torto.

Scherzavo allora, amabilmente accorto,
per suscitare d'un suo riso il suono,
e... Che dolcezza, s'ella dava il tono
al cinguettio de' passeri, nell'orto!

Ma un giorno tristo diventai cattivo.
Mi attossicò la folle gelosia,
e da quel giorno non le fui più vivo.

Or m'ha sepolto dentro il cor: — Qui giace
tal, che... — Nessuno oltre vi legge. Oh, mia
Nina, potessi riposare in pace!

V. — DE CORDE POETAE

*Delia, ne quaeras oculis tam grandibus imo
 pectore quid lateat: nil tibi, cara, tego.
 Quamquam vero oculis oculos inquirere fuscis
 pergis, tu numquam pectoris ima tenes.
 Horrens nam pectus variatur tristibus umbris,
 qua sol non rutila luce fugare valet.
 Turpibus horrificus serpens tegit intima spiris,
 si qua vestigans laedere forte queat.
 Namque, lacus oculi vitreos si lumine cernas,
 in summis videas plurima pendere aquis.
 Si quid enim in terris iucundo lumine fulget,
 illius in speculo fulget imago nitens,
 ut clausi in minimo gilvi passeruli oculo
 candidula ala vibrans papilionis inest.*

VI. — SEPULCRUM

*Non latet id, novi: penitus sum mortuus illi,
 mitis qui fuerim, qui bonus usque puer.
 Saepe dolens veniam commoto corde petivi,
 nulla etsi culpa commaculatus eram.
 Ludere consueram praecepto motus Amoris
 ut dulcem in risum labra moveret hians.
 Quam mihi dulce fuit, fluerent si verba labellis
 passeris ut cantus vespere ab ore fluit!
 Post tamen (heu tristis recolo) caeca ira peredit,
 vix movit stimulos anxietatis Amor.
 Aeterno jacui sic illi funere victus,
 illius et pectus sic monet: «Ille jacet...»
 Quid titulus deinceps doceat non cernitur ulli:
 quam vellem extrema, Nina, quiete frui!*

NOVA ET VETERA

LACONICUM - CALEFACTIO

1. Superiore mense Antonium patrualem meum, qui Barcinone in via Neapolitana —vulgo Nápoles— domicilium habet, conveni. Ad illam principem urbem ¹ octava semis hora ² postmeridiana tramine ³ vecti cum patre

1. **principem urbem** [*capital - capitale - capitale*]: «urbs regni caput, regni sedes» (VALLAURI); «urbs princeps; urbs caput» (BACCI); cfr («Castellum quod caput ejus regionis erat» (Liv. 21, 33, 11).


2. **octava semis hora** [8'30]: «Semis est dimidium cuiuspiam rei» (FORCELLINI, s. v.); «Semis est quelquefois traité comme un adjectif...; le plus souvent, il est considéré comme un adverbe invariable, cf. PALL. JAN. 10, 3 «duobus semis pedibus» (ERNOUT - MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine* s. v.). Semis aliud ac sesqui significat; semis est dimidium (cfr. *selibra* = semis libra; «dimidium librae»; *semuncia* = semis uncia; «dimidia uncia»; *sesqui* rei dimidium addit (*sesqui-hora* = «hora et dimidia; *sesquipies* = «mensura unius pedis et dimidii»).

3. **tramine** [*tren - train - treno*]: satis superque de voce tramine est disceptatum (cfr. PALAESTRA LATINA 26 (1956) 19; 27 (1957) 24, 31, 32; 27 (1957) 85, 88, 92, 93); tamen quae his locis exposui, breviter perstringam: Vox «tractus» —ut latine *tren, train* reddamus— non est prorsus reicienda, cum haec vox ex primigenia Romanorum significatione ad nostram currum seriem, quae suo tractu movetur, facillime deflecti possit; «agmen vehiculorum», «agmen curuum» non nullis

quoque probantur, neque immerito, nam «agmen» est ordinata rerum multitudo quae in longum incedit. Neque tamen a *tramine* (quod iam adhibetur in *Juventute Hungarica* et in *Dictionario Hungarico-latino* a Wagner digesto) est recedendum, nam sive ad verbum *traho* refertur et cum *trama* conjungitur, sive a verbo *transmeo, trameo* derivatur, et seriem currum trahentium vel transeuntium exprimit, *tramen* aptius vocabulum quam «hamaxostichus», ad rem designandam (*train*) videtur. Haec enim vox a fonte graeco; *tramen* vero ex intimo sermone latino eruitur, et quanquam non est purae latinitatis, sed eade n forma ac multae voces quae in *-men* desinunt est efficta. Injuria igitur vox Folgentiana habetur cum non ex vernaculis *tren, train, treno*, «tramen» faciamus latine, sed rei novae nomen aptamus «latinum» (*), de cujus etymo adhuc inter etymologos disceptatio intercedit; at in verborum penuria potius de latinis verbis victitemus quam ab aliis mutuum accipiamus. Neque Plautus commemorandus est —ut aliquod fundamentum voci «hamaxosticho» tribuatur (cfr. LATINITAS, IV (1956) 11-12, n 19)—, qui voculam «hamaxari» effinxerit, cum eo loco criticae editiones (**) *amplexari* legant «Ut ego me ruri *amplexari* mavelim patulam bovem» PLAUT. *Truc.*, 2, 2, 22 (277).

(*) «Sic et *tramen* ejusdem significatus [ac *trama*], a *traho*, ut a *nosco*, *nomen*, a *luceo* *lumen*». (FORCELLINI, s. v., *trama*).

(**) Vocem *hamaxari* conjectura assecutus Camerarius, quam Ritschel (Leipzig 1881) in apparatu critico rettulit et Quicherat-Chatelain hoc uno loco Plautino ut ἀμαξῆ admittunt; ita etiam Forcellinius. Renuunt vero vocem Georges et *Lexicon Plautinum* a González Lodge apparatus Recentiores editiones criticae —in quibus Oxoniensis et Budeana— neque in apparatu critico hanc voculam commemorant.



1. laconicum lignis comburendis
2. focus, i m.
3. foci pedes, fulcra (pl.)
4. operimentum, i; operculum, i, n.
5. batillum, i n.
6. laconicum petrleo alendum
7. crates f, craticula electrica
8. storea, teges electrica
9. laconicum gaso alendum

10. calefactionis caldarium
11. tubus vermiculatus
12. thermometrum, i n.
13. tubus, tubulus, i m.
14. obex, icis m.; clavis, is f.
15. radiatorium, ii n.; tubus radtatorius
16. laconicum electricum
17. laconicum anthracinum [anthracitae lente comburendo]

pervenimus. In statione ⁴ ad ipsam crepidinem ⁵ frater patris, Josephus, cum Maria ejus filia natu minima expectabant, quos ut vidi maximo exultavi gaudio, laetus e tramine descendi eosque osculatus sum et amplexatus.

4. **statione**: cfr. PALAESTRA LATINA, 26 (1956) 20.

5. **crepidinem**: cfr. *ibid.* p. 22.

6. **currum tramviarium** [transvia - tramway - tram, tramvia]: quae vox varie ab scriptoribus latine est reddita: «trama vialis, traha viaria, curriculum electricum» (COGNASSO, *Colloquia latina*, p. 9; *Il latino*, s. v.; cfr. etiam

DUMAINE, *Conversations latines*, 3 ed., p. 227); «rheda electricae acta; vehiculum electricum» (V. U. C.), JACOBELLI, *Novi flores*, Romae, s. v.); «currus electricus» (JUVENTUS, 22 (1938) 147); «curriculum electricum» (MARIANO); «transviaria raeda (transviarius currus) electrica vi acta (actus)» (BACCI, *Lexicon*, s. v.; LATINITAS, IV (1956) 12), «electricaveha» (COGNASSO, *Il latino*, s. v.; PALAESTRA

Deinde currum tramviarium⁶ conscendimus et domum patruī laetantes petiimus.

2. Diem, plane teneo, caliginosum et perfrigidum habuimus, qui dies pridie fuit festum Sancti Joseph, mense martio, eoque die ad avi patruīque nominalia⁷ celebranda conveniebamur. Caelum frigidum erat omnesque algebamus; quare cubiculum intravimus ut frigidos artus refoveremus.

3. In magnis urbibus domus calefactionem⁸ habere quam centram

LATINA, 3 (1933) 86), quod nomen P. Avenario non omnino probabatur et in «electrivelem» (= electrivehelam) mutatum voluit (cfr. PALAESTRA LATINA 20 (1950) 183. In tanta vocum copia scriptoribus, quam quisque aptiorem putaverit, seligere licebit; sed non omnes voces rem penitus tangunt; nam sunt quae currum illum electricum nimis dubie expriment et ab aliis curribus non proprie secernant. «Transviarius currus, (transviaria raeda)» a praeclaris scriptoribus probatur et haud semel ita scriptum in his Commentariis est; sed sunt —in quibus P. Springhetti— qui huic voci adversentur, quia *trans* indicat *transversum*, et currus ille non transversum vias et urbem decurrit; Bacchus tamen se ipse purgat respondetque (LATINITAS IV (1956) 12, n 25): «*Trans* id significat quod Itali dicunt *oltre*; quam ob rem «transire» *passare oltre, andare avanti*». Sed exstat alia quae potissima videtur difficultas; in eo enim vocabulo primigenius rei sensus permutatus est, nam in «tramway» anglico nulla habita est ratio «trans eundi». «Bacchum aliosque fugit —ut videtur— *tram* in substantivis Anglorum esse et significare illum axem ferreum —quod Avenarius *rotale* fecit latine — nosque cum Anglis *rail* dicimus. Idque aperte lexicon Larousse ostendit his verbis: «*Tramway*, angl. *tram* = «rail plat» et *way* = «voie». *Plat* h. e. planum appellatur hoc genus «rotatum» («*rail*») quod non e solo exstet, sed ita in terra depressum sit ut pedi-

tes inoffenso pede et ut vehicula sine impedimento inibi pergant ire» (*).

7. **nominalia** [onomástico - onomastique - onomastico]: «substantivorum more, dies sollemnis, quo puero imponebatur nomen» (FORCELLINI, s. v.): «officia privatarum et communium sollemnitatum, ut sponsalium, nominalium» (TERTULL. *Idolat.*, 16); etiam «dies lustricus» «...unde diem illum quo infanti nomen imponebatur (nominalia appellat Tertull.) lustricum diem vocarunt, quia eo infans lustraretur, hoc est, religione purificaretur» (FORCELLINI, s. v. lustricus). —*Dies vero natalis* seu simpliciter *natalis* est dies anniversarius quo quis in terris natus est, quem Romani, ut nos, sollemniori agebant commemoratione: *Natali die* tuo scripsisti epistulam ad me plenam consilii» (Cic. *Att.* 9, 5, 1). «Ad urbem [veni] III Nonas natali meo» (Cic. *Att.* 7, 5, 3).

8. **calefactionem centram** [calefacción central - chauffage central - riscaldamento, termosifone]: hanc, quam pridem proposueram locutionem, retinendam censeo (cfr. PALAESTRA LATINA 26 (1956) 173), cum multae voces abstractae (ut «calefactio», —neque infitior eam esse serioris latinitatis—) progrediente tempore novisque accedentibus rerum inventis rem quoque concretam significant; vox graeca «thermosiphon» ad rem exprimentam etiam aptari potest (**).

(*) Quae quidem amicus (P. A. H.) jam pridem per litteras mecum communicaverat. — Ita etiam P. Avenarius (PAL. LAT., 27 (1950) 183): «Mihi placuit «tram» anglicum nomen et italicum «tramvia» usurpare etiam in latino sermone indeque deducere *tramviarium* currum, quod is leniter laberetur per *tramviam*, hoc est *ferream viam* in urbium *stratis demissam*.

(**) Perperam a COGNASSO, *Il latino*, s. v., acuitur «thermosiphon»; acuenda est vox «thermosiphon».

dicunt putabam; sed haud ita esse intellexi, nam in triclinio laconicum⁹ constitutum erat quod serragine¹⁰ alebatur¹¹: quam alendi laconica rationem mundissimam minimique sumptus esse famulae dixerunt.

4. Alia quoque vidi laconica quibus olivarum nuclei contriti¹², amygdalarum putamina¹³, ligna et ramenta ignis materiam¹⁴ praebebant. Domi, quamquam foras frigus urgebat, optima utebamur temperie¹⁵. In officio¹⁶ patruī laconicum electricum apparatus erat; quod sane non admodum calefaciebat conclave, aëra tamen circumfusus¹⁷ temperabat. Tibi ad mensam sedenti calore ex laconico emisso, artus facile refoverentur.

In alia domus diaeta foculum¹⁸ vidi quem subinde famula batillo¹⁹ exci-

9. **laconcium** [*estufa - poêle - stufa*]: non sunt probandae voces «fornax, furnus» (SOCIETAS LATINA; JUVENTUS HUNG. 23 (1939) 70); proponuntur praeterea «caminus, hypocaustum, caldarium»; quae tamen voces cum peculiaribus instructae sint notis, minus aptae ad rem exprimendam videntur; nobis in primis placet «laconicum», quia in eo «flamma et calor per tubulos in ipsum laconicum ascendebat et ad summam camerae curvaturam» (cfr. FORCELLINI, s. v.), quod et in nostro laconico fit. Quae vox saepius in *Candidato Latino* 1 (1928) 7; 21, et in *Palaestra Latina* 2 (1931) 7; 112 (cfr. etiam *Nova et Vetera* —opusc.— 28; 1) adhibetur.

10. **serragine** [*serrin - sciure - segatura*]: «scobis fragmenta minutissima, quae humi cadunt, cum aliquid serra secatur»; «serrago» (f.) legitur apud Caelium Aurelium medicum, neque despicienda vox, licet senioris latinitatis. «Scobis» etiam dici potest et «est id quod ab aliqua materia minutissimum decedit, dum lima aut scobina raditur, vel serra secatur, vel terebra perforatur, vel aliquo corpore atteritur» (FORCELLINI, s. v.).

11. **alebatur**: cfr. «Sunt autem stellae natura flammeae; quocirca terrae, maris, aquarumque vaporibus aluntur». (Cic., *Nat. Deor.* 2, 46, 118).

12. **nuclei contriti olivarum** [*borujo - marc d'olives - sansa*]: «Item nucleus dicitur, quod durum et osseum in quibusdam pomis includitur, ut in olea» (FORCELLINI, s. v.).

13. **amygdalarum putamina** [*cáscara de almendras - écorce d'amandes - guscio delle*

mandorle]: «putamina» sunt arborum altarumque rerum purgamenta quae ex quacumque re projiciuntur: nucum, ovi, fabae, cocleae putamina».

14. **ignis materiam** [*combustible - combustible - combustible*]: cfr. «Est autem ignibus generandis nutriendisque soli ipsius naturalis materia» (JUST., 4. 13).

15. **temperie** [*temperatura - température - temperatura*]: caeli, aëris temperies, temperatio. «Temperies dicitur de temperata caeli constitutione cum neque frigus neque aestus nimius est» (FORCELLINI, s. v.).

16. **officio** [*oficina - bureau - ufficio*]: cfr. *PALAESTRA LATINA*, 26 (1956) 169.

17. **aëra circumfusus** [*ambiente - ambient - ambiente*]: «circumfusus nobis aër» (GEORGES, Kl. Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch); «circumfusus aër» (MARIANO), «caeli temperatio» (COGNASSO, *Il latino*, s. v.) alii «aër ambiens»: «ambio ponitur et de rebus quae circumeunt, et est cingere, complecti» (FORCELLINI, s. v.).

18. **foculum** [*brasero - brasero - bractere*]: «foculus, focus» est id quo ignis servatur; qui aeneus esse solet et duabus ansis instructus ex una in aliam domus diaetam circumferri potest.

19. **batillo** [*badil, paleta - pelle à feu - badile*]: est instrumentum ferreum ad palae similitudinem; remque subtilius significare videtur quam pala, quam MARIANO (*Nuovo dizionario italiano-latino*, s. v.) proponit; cfr. *Nova et Vetera*, p. 30, 31.

tabat ne exstingueretur calorque vividior emitteretur. Vel laconica vidi quae gaso²⁰ aut petroleo²¹ agerentur²²; tunc tamen cessabant²³.

5. Josephus avus stoream²⁵ habebat electricam qua pedes calefaciebat; cum autem cubitum ibat famula caloriferum²⁴ inter lecti lintheamina²⁵ interponebat quo ille pedes tota nocte calidos haberet.

6. Postridie, primo mane, qua ratione famula Teresia triclinii laconicum cottidie accendat, vidi: cinerarium²⁶ subtrahit, cinerem in vas purgamentorum mittit; clipeum²⁷ et anulos²⁸ uncino²⁹ educit; in medio laconico teretem stipitem pangit, qui ad imum pertingit; deinde serragine laconicum complet, eumque pavicula³⁰ premit; qua compressa, stipitem caute extrahit atque stipitem et paviculam suo loco reponit. Postea obicem³¹ transversum

20. **gaso**: de «gaso» et «gasio», cfr. PALAESTRA LATINA 27 (1957) 33; 86; 88.

21. **petroleo** [petróleo - pétrole - petroleo]: quod alii «oleum bituminosum dixerunt» —sunt et alia huic oleo indita nomina—, petroleum simpliciter nominemus, nam quamquam cadentis seu novae sit latinitatis vox, optime est latine facta (petra - oleum), rem aptissime exprimit, estque praeterea «technica» habenda.

22. **agerentur**: agere dicitur de rebus quae non sua, sed aliena vi aliquo versus admoventur, ut de instrumentis, et est adigere, injicere, impellere (cfr. FORCELLINI, s. v.).

23. **cessabant**: cessat qui agere desinit; res inanimae cessant «cum vacant, nihil agunt, quiescunt, deficiunt, locum amplius non habent» (cfr. FORCELLINI, s. v.).

24. **stoream** [estera - natte, tapis - stuoi]: nisi fallimur et «stoream» et «tegetem» et «cratem» electricam nominare possumus

25. **caloriferum** [calorífero, calentapies - calorifère - calorifero]: quae in PALAESTRA LATINA 26 (1956) 24 de hac voce dixi omnino confirmo.

26. **lecti lintheamina** [sábana s- draps de lit - lenzuoli]: «Videtur lintheamen esse Italarum lenzuolo» (FORCELLINI, s. v.); cfr. NOVA ET VETERA —opusculum—, p. 27 (n. 23).

27. **clipeum** [tapa, cubierta - couvercle - coperchio]: fuit instrumentum aëneum pendens ex fenestra laconici (cfr. FORCELLINI, s. v. et RICH, Dizionario delle antichità greche et romane, s. v. laconicum et clipeus), quo lumen aperiri poterat aut claudi eoque calor temperabatur (cfr. CANDIDATUS LATINUS, 1 (1928) 7 et 22)

28. **anulos** [aros - cercles - cerchi]: dic «anulos, circulos» et si placet, «orbes».

29. **uncino** [gancho - crochet - uncino]: ferum incurvum et in se retortum; dic etiam «uncum».

30. **pavicula** [pisón, pisoncito - batte - mazzaranga]: paviculis terra et aliae res tunduntur, densantur, solidantur.

31. **obicem** [llave de paso]: «obex» est quidquid obicitur et opponitur ad claudendum et impediendum (cfr. FORCELLINI); etiam «clavem» adhibere poteris.

* Quae Jo. COROMINAS in suo «Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana» copiose scripsit de hac voce curiosi lectores libenter perlegent: «alcohol, 'antinomio', 'polvo finísimo de antimonio empleado por las mujeres para ennegrecerse los ojos', 'esencia obtenida por trituración, sublimación o destilación', 'espíritu de vino', del hispanoárabe *kuḥāl* (ár. *kūhl*) 'antimonio o galena empleados en Oriente con la expresada finalidad', de la misma raíz que 'akhal' negro'... —La forma castellana normal pasó al fr. *alcool* [en la 2.^a ac., S. XVI] y al bajo latín de los químicos donde a princ. S. XVI le dió Paracelso la 3.^a ac., y en 1612 aparece ya con la 4.^a De aquí con el nuevo contenido semántico volvió al castellano y pasó a las demás lenguas modernas, en la forma internacional *alcohol*».

collocat, alcohole³² vel petroleo pannulum madefacit, aut xyli³³ glebam, quam in locum serragine vacuum—in quo pactus fuerat stipes—injicit et sulphurato³⁴ accendit; cinerarium³⁵ sub laconicum reducit et laconicum cooperit.

7. Nunquam adhuc quo modo laconicum appareretur videram cum in domo mea calefactionem centalem habeamus appositam quae mihi omnium commodissima videtur. Novi esse quae aëre calido aut aquae vapore agantur (cf. 22), nos tamen ex aqua calida habemus. In hypogœo³⁶ est caldarium³⁷, e quo tubi³⁸ procedunt et in conclavia ascendunt; in horum tuborum ore tubuli radiatorii³⁹ apponuntur qui calorem in omnes domus cellas diaetasque emittunt seu radiant.

32. **alcohole** [*alcohol* - *alcool* - *alcoole*]: Non est cur circuitiones, quas alii afferunt, usurpemus; sufficiat *alcohol*, is, quo jam pridem chīmici saeculo XVI usi sunt (*).

33. **xyli** [*algodón* - *coton*, *ouate* - *cotone*]: dicitur «xylon» et ab aliis «gossypion», cfr. de his vocibus lexica.

34. **sulphurato** [*cerilla* - *allumette* - *cerino*, *zolfanello*]: proposita sunt: «cereolus» (CANDIDATUS LATINUS, 1 (1928) 22); «igniarium» (JUVENTUS 24 (1939) 107); et «phosphorum» (scil. bacillum), facella, facula, fricilucium, ignifricium, taedella, flammiferum (bacillum), incendiculum» (JUVENTUS 23 (1938) 30); «cerei ignescentes» (ZENONI); «lignum igniarium, flammiferum» (SOCIETAS LATINA 2, (19 3) 11); «sulphurata» (VIVES); «cremia ignifera» —si sint nostrae aetatis—, «sulphurata ramenta, sulphuratum» —si ad antiquitatem referantur— (DUMAINE, *Conversations latines*, 3 ed. p. 273); sub vocibus *cerini* et *zolfanello* a Baccio alia quoque afferuntur vocabula; ex his omnibus probarem: «cereolus, i, cereolus sulphuratus; sulphuratum, i, ramentum sulphuratum; flammiferum, i, flammiferum ramentum; cremium sulphuratum». Est autem «ramentum» quod radendo aufertur, id est ligni particula; «cremium» vero lignum tenue et aridum, a *cremo*, quia facile crematur (cfr. FORCELLINI et ERNOUT - MEILLET, s. v.); cfr. NOVA ET VETERA, 29; 31 (n. 13) ubi *sulphuratum* usurpavi.

35. **cinerarium** [*centicero* - *garde-cendre* - *ceneraio*]: est proprie adjectivum; si mavis, dic «excipulum cinerarium»; «excipulum» autem est vas aut quidpiam simile, quod sit excipiendo utile; sed ut rem apte significemus «cinerarium» sufficit, quod olim adhibuit, cfr. NOVA ET VETERA, p. 27; 30.

36. **hypogeum** [*sótano* - *sous-sol* - *sottosuolo*]: est locus subterraneus.

37. **caldarium** [*caldera* - *chaudière* - *caldaiia*]: voces «caldarium» et «caldaria» huc novo aëno vasi aquae calefaciendae omnino aptari possunt.

38. **tubi** [*tubes* - *tuyaux* - *tubi*]: «tubus, tubulus» est canalis, fistula, per quam aqua aut fumus aut calor ex igne permeat (cfr. FORCELLINI, s. v.).

39. **tubuli radiatorii** [*radiadores* - *radiateurs* - *radiatorii*]: «radiatorius, a, um» licet in lexicis non inventiatur est optime confictum, nam hi tubi calorem «radiant», emittunt. COGNASSO (*Il latino*, s. v.) habet: «tubuli, radiatores, calidarium, membrum hypocausticum»; MARIANO: «radiator, oris»; cfr. etiam CANDIDATUS LATINUS, 2 (1929) 70, ubi «radiatorium» alio sensu adhibetur. Fortasse probandi sunt «tubuli radiatorii, radiatores, [radiatoria]».

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

P. Caelestis OSB Josepho Mariae Mir, Domino illustrisimo, S. P. D.

Hec, mi Domine maxime illustris, litteras ad te dedi, quibus dicerem, quid de libro Trainae iudicasset.

Nunc autem de libro Naviae pauca mihi concedas, ut adnotem, eaque minus recte dicta immo perperam constituta commendataque, quamvis ceterae ejusdem operis partes prorsus laudibus extollendae sint.

Atque primum quidem ibi pag. 175, n. 253, 7 dicitur nomen, quod est cyncus, aliaque ejusdem generis efferenda esse ut *kūngnus*. Recte quidem agnus profertur ut *angnus*, idem ad *-cn-* litteras conjunctas non licet referri. Similiter recte dicitur *dignus* quasi sit *dingnus*, set falso «agmen» ut «angmen» (pag. 170, n. 246, c). Quod enim ad *gn* litteras jugatas spectat, idem non ad *gm* transferri potest. (Cf. NIEDERMANN, Max, *Historische Lautlehre des Lateinischen*³, Heidelberg 1953, § 77 (p. 146).

S deinde littera, cum duabus vocalibus interponitur, numquam est sonora nisi aut prisca latinitatis tempora respicias aut posteriora sermonis jam aliquatenus corrupti. (Cf. TRAINA § 16, p. 54 sq).

Z autem, quamquam a grammaticis saepenumero pro duplici consonanti habebatur, fortasse quod prius *s* duplici reddebatur, aurea, quae dicitur, aetate ut *s* sonorum, quod erat tum peregrinum, enuntiabatur dempto *d* praeposito. Antea dicebatur ut *ds* vel *ts*, quod et postea, id est tertio quartove saeculo p. Chr. n. iterum in usu haberi coeptum est. (Contra p. 34, n. 43, 12-13, p. 175, n. 253, 5 et PALAESTRA LATINA, num. 51: 6 (1936) 111-113: *Ds* littera *s*).

Verba denique peregrina, ut hebraea, non omnia eandem ad normam revocari possunt, cum de accentibus agitur, sed singula respicienda sunt earumque syllabarum seu vocalium mensurae, quales Romani Christiani usurpare consueverunt. Ubi vero de vocativo agitur, recte dicitur Ambrósi, Gregóri (=ö), Hilári, Athanási (=ö), cum accentus ita ponatur, ut etiam illius *e* jam pridem per apocopam dempti ratio habeatur. (Ceterum cf. PALAESTRAM LATINAM, num. 66: 11 (1941) 29).

Equidem libentissimo animo tibi tum, cum commentatio mea mox fortasse typis descripta erit, exemplar mittendum curabo. Postremo velim mihi concedas, ut te interrogem de discis grammaphonicis, quibus sermo vere latinus et bene enuntiatus et expedite pronuntiatus percipiatur.

Quid, ut ad aliud transeam, quo vocabulo latine redditur, quod apud americanos appellatur *dollar*?

Licet in sacris scripturis legatur mammona iniquitatis, tamen vix iniquum est de nomine quaerere.

Quid vero *quajacum*, unde ductum est? (*Nova et Vetera*, —quando hic liber editus est? — pg. 95, index; et: estne *quaiacum* idem atque in *LATINITATE* 2 (1954) 31: *guayacum*?).

Valere te in Christo cupio meique meminissem. Dabam Monaco Bavarorum die sexto decimo mensis Januarii anno MCMLVIII.

P. Caelestis OSB. Josepho Mariae Mir, Domino illustrissimo, S. P. D.

Jam pridem non solum vestris in commentariis commentariola quaedam pollicitus sum divulganda sed etiam in commentariis *Latinitate*. (Scripsi sic, quod apud Quintilianum haec inveni: «quaedam tamen et faciem soloecismi habent et dici vitiosa non possunt, ut 'tragoedia Thyestes', ut 'ludi Floralia ac Megalensia': quamquam haec sequenti tempore interciderunt numquam aliter a veteribus dicta, *Inst.* 1, 5, 52, ed. RADERMACHER, Lipsiae 1907. Recentior editionem a NIEDERMANN confectam nondum inspexi. Ceterum alios quoque hujus generis locos jam inveni non paucos, quibus aliquando, quid de libris commentariisve citandis sentirem, explicare possem).

Jam id studeo, ut materias colligam, quibus, id quod animo concepimus monumentis innixus nequaquam futilibus Deo adjuvante ad effectum adducam. Quibus in rebus efficiendis commentatio quaedam est his fortasse verbis inscribenda: «Temporis vel horae spatium in quasnam partes dividatur». De qua re nuperrime in *Vitae Latinae* tertio fasciculo haec inveni: «Aegrotus tertia vice nos visit et jam 20 minutae praeteriere, ex quo tractatur» (*et il est en consultation déjà depuis 20 minutes*), pag. 34. Quid de *minuta*, quid de *secunda*, estne haec quaestio in *Palaestra Latina* jam alicubi fusius tractata vel hic illic saltem obiter commemorata aut alibi? Equidem in litteris latinis antiquis duos fere locos repperi, ubi *minuta*, -ae f., dicitur, cum de hora partienda agitur. Sed quid «*Sekunde*» (Hispan. *segundo*, Ital. *secondo*, Angl. *second*, Francogall. *seconde*, neograece δευτερόλεπτον), estne haec quaestio jam in *Palaestra Latina* tractata an alibi? Nihil inveni (praeter locos quosdam *Societatis Latinae Monacensis*) nisi illud commentariolum a Lurz conscriptum, quod est in commentariis, qui inscribuntur vel inscribebantur *Per lo studio e l'uso del latino*, Roma, 4 (1942) 82-83. In *Palaestrae* autem vestrae volumine, quod mihi miseris, haec inveni: «Horologium signat horam nonam cum quinque *minutis*», n. 72: 12 (1942) 33, cf. *ibidem* pag. 34.

Quid, Domine, fortasse vel consiliis tuis prudentissimis iterum me adjuvare poteris.

Incolumem te servet Dominus totius salutis auctor! Vale!

Dabam Monaco Bavarorum die duodevicesimo mensis Februarii anno MCMLVIII.

Modo in libro tuo, qui inscribitur *Nova et Vetera*, haec inveni:

pag. 11 (vocabularium, n., 10) *minutum*, i, n. «minuto, minute».

pag. 60: quod (trahaculum [lege *tramen*]) Burdigala hora septima pomeridiana cum duobus et triginta *minutis* egreditur.

pag. 62: horologium..., quod viginti quinque *minutis* retardabatur.

De *secunda*, ut ita dicam, nihil legi.

Tertium heri fasciculum *Vitae Latinae* accepi eumque mense Februario editum mense Januario inscriptum. Quo libello illa quaestiuncula soluta est, quam tibi de his commentariis proposui. Valde autem me delectavisti commentariolo vel magis descriptione «surrectionis matutinae»; idque ea quoque de causa, quod singulos auctores vocum neolatarum diligenter adnotavisti; at vocabulum «teclae» mere est Hispanicum (Jové). Vale.

Dabam 16 Febr. 1958.

P. Jos. M. Mir, C. M. F., P. Caelesti, collegae et fratri, spd.

In mensa scriptoria jacent, pro dolor! non paucae scriptae a te epistolae et chartulae cursuales, quibus tandem est respondendum.

Non omnia sane quae a Navia et Joveo nostro de enuntiatione litterarum sunt disputata, viris doctis probabuntur, praesertim quae de «s» quae vocabulis inseritur. De vocativis autem illis Ambrósi... varium est sapientium iudicium, et quanquam optimi nostrae aetatis scriptores Ambrósi retinent et ita enuntiandum docent, aliter etiam olim veteres enuntiasse constat ex Gellio; quam sententiam sequitur P. J. Llobera, S. J., in sua *Grammatica classicae latinitatis*, Barcinone apud edit. Subirana.

Pro «dollar» scriptum vidi et ipse adhibui *dollare -is, dollaria, -ium*; neque est cur ad alia obscuriora verba confugiamus.

Voculam illam «teclam» recte dixisti Hispanicam tantum esse; quam multis argumentis, conatus est in linguam latinam inducere P. Joveus, cujus sententia ut ab aliis accipiatur difficile est. In ea, quam edidi, «Interpretatione latina Magistri Perezii» (cfr. *PALAESTRAM LATINAM*, n. 154, p. 95) «tessellam eburneam» ausus sum proponere. Habesne illam interpretationem separatim editam?

De «minuto» et «secundo» quid sentiam, pagellae hae — quae numero m. Martio *PALAESTRAE LATINAE* inseruntur — liquido ostendunt (cfr. *PALAESTRAM LATINAM*, 28 (1958) 287, n. 21).

Ita reapse: *quajacum* eadem vox est ac *guayacum*, et gaudeo quod locum significaveris. Alias de hac voce sermonem instituemus.

Opera tua fortunet Dominus teque incolumen servet. Valeas, frater.

Scribebam Barbastro, die tertio m. Martii, anno 1958.

Jos. M.^a Mir, C. M. F., Dno. Oliviero de Guise, litterarum latinarum doctori, s. p. d.

Epistula tua, nobis gratissima, aliquot abhinc dies ad nos est delata. Quod adeo litteris latinis oblectaris, vehementer gaudemus...

Interrogasti quoque sententiam de voce SOREL in latinum convertenda, de qua ita censeo: Pauca sunt nomina quae *-ela* suffixo finiuntur (*tutela, loquela, medela, cautela...*); quae vero *-ella* suffixo desinunt, omnes fere nomina deminutiva sunt. Ceterum, plurima vocabula latina derivata, *-i-* littera interposita, quodam modo emolliri novimus; eaque ratio nova effingendi vel aptandi vocabula nostris quoque diebus retinetur: *Vassingtonium -ii*, vel *Vassintonia -ae* (Cfr. BACCI, *Lexicon*, ubi alia invenies). Scribendum igitur mihi videtur *Sorelia -ae* vel fortasse etiam *Sorelium -ii...*

Fausta tibi omnia.

Valeas, doctissime vir.

Scribebam Salmanticae a. d. VIII Kal. Apriles a. MCMLVIII.

Amadeus Pacitti J. Mirio carissimo humanissimoque amico s. p. d.

Quod plagulas speciminis mei misisti mihi pergratum est. Pro tua humanitate plurimas ago gratias. Omnia probo. Rem optime imprimendam curasti! Unum tamen haud rectum mihi inesse videtur: *prodentem* pro *procedentem* sub finem scriptum invenio. Equidem opinor nullo modo recte scribi posse *prodentem* quod verbum a *prodendo* deducitur. *PROCEDENTEM* ego scripsi, quasi *proficiscentem*, nisi forte *prodeuntem* scribere volueris, quod rectum est, ut mihi videtur. Qua peritia et auctoritate es, vide, quaeso, quomodo se res quam optime habeat. Attamen cogito jam commentarios vestros in eo esse ut prodeant atque evulgentur, neque ullo modo errorem, si error est, corrigi posse.¹

1. Corrigan ergo lectores sub infima pagina 332 superioris fasciculi: *prodentem* in *procedentem*

REGULAE ORTHOGRAPHICAE

Nuper Jos. JIMENEZ DELGADO, C. M. F., in Universitate salmanticensi litterarum latinarum professor ibique Facultatis Decanus, opusculum «De orthographia latina» edidit (*Textos Palaestra*, Lauria, 5, Barcelona; *Helmántica* 9 (1958) 223 ss.), in quo, quae prius de re scripserat, validioribus argumentis innixus pertractat atque inscriptionum et veterum recentiorumque scriptorum testimoniis abunde confirmat.

Eruditissimi viri laborem et in re constantiam laudamus et ut opusculum in legentium manibus veniat ab iisque continuo versetur optamus. Multae in eo opusculo sunt quae dilaudentur virtutes et in his «Index orthographicus» qui multum alumnos et magistros et scriptores praesertim in recta verborum adhibenda scriptione juvabit.

De retinendis *j* et *v* consonantibus magno argumentorum pondere etiam disserit; quam dissertationem in hoc fascículo libentissime praemisimus cum eidem acquiescamus sententiae.

Hac igitur arrepta occasione et nos ad illam orthographiam propius accessuros profitemur.

Ut autem horum Commentariorum conscriptores leges pernoscant quibus in vulgandis scriptis utamur, sequentes regulas orthographicas — praecipuas tantum numeramus — edendas decrevimus:

I - Litterae grandes seu majusculae adhibentur ¹:

1. initio sententiarum quae propositionem absolutam constituunt: «At memoria minuitur»;

2. in ipsa propositione initio orationis directae cum verba alterius referuntur: «Qui, cum ex eo quaeretur, cur tam diu vellet esse in vita: 'Nihil', inquit, 'habeo, quod accusem senectutem»;

3. in nominibus propriis et in iis quae ut propria adhibentur: *Tullius*, *Ecclesia*, (*Catholica*) *Urbs* (Roma), *Scriptura*;

4. in nominibus appellativis quae Deum, Caelites, virosque egregios designant: *Deus*, *Dominus*, *Altissimus*, *Omnipotens*, *Verbum*; *Virgo*, *Angelus*, *Apostolus* (=Paulus), *Summus Pontifex*, *Episcopus*; *Venusinus* (Horatius), *Mantuanus* (Vergilius);

1. Cfr. *Leges in scriptis Pontificii Instituti Biblici servandae*, Romae 1913, p. 12. J. JIMENEZ *De orthographia latina*, ed. 2.^a, Barcinone 1958, p. 45, n. 79.

Sed minutis litteris scribes adjectiva etiam si a nominibus propriis deriventur; *libri sacri, lingua latina, virtus romana*;

Cum vero populus seu nationis cives designantur mos fere invaluit ut grandibus litteris initialibus scribantur: *Romanus, Poeni*; «*Ut Romanus Albano imperet!*»;

5. nomina mensium a multis majusculis litteris scribuntur, sed et minusculis scribi possunt: *mensis Majus, Augustus*;

6. ludorum vero nomina rectius grandioribus litteris scribuntur: *Lupercalia, Bacchanalia*, sim.;

7. singuli carminum versus a multis majusculis litteris scribuntur, sed praestat minusculas adhibere;

8. notae compendiariae plerumque grandioribus litteris usurpantur: *D. O. M.; A. U. C.*

II — Praepositiones in vocabulis compositis plerumque assimilantur sequenti consonanti: *al-loquor* (adloquor), *al-latus* (adlatus), *aspiro - adspiro*, sim.; ita etiam in verbis compositis: «*eundem, tanquam, nunquam*», sim.

III. — Litterae *i* et *u* pro vocalibus adhibentur: *Vergilius*.

Litterae vero recentiores *j* et *v*, cum consonantium sonum exprimunt, semper retinentur: *jam, valde*.

Est autem *j* consonans:

1. initio vocum latinarum ante vocalem: *janua, jacio*; excipitur *iens*;

2. cum inter vocales media est: *major, Pompejus*; excipiuntur *assiduior, tenuia, tenuior*;

3. in his vocibus quas a Graecis Romani acceperunt: *Achaja* (*Achaia* apud poetas), *Ajax, Grajus, Maja, Troja* (*Troia* apud poetas).

Initio igitur vocabuli ante vocalem remanet vocalis in nominibus graecis-latini ut apud Graecos: *i-ambus, i-aspis, i-ota, l-ulul* («*parvus l-ulul*», apud Vergillum, *Aen.* 2, 710), «*praeter l-apiga*» (apud Horatium, *carmin.* 3, 4), *l-apetus, i-onicus*.

IV — Diaeresim vocali addimus ne cum praecedenti per diphthongum copuletur: *poëma, aër, aënus*.

V — En quo modo scriptores eorumque scripta et commentarii memorantur:

primum nomen auctoris per compendium fere scribitur;

deinde cognomen grandibus litteris, et interposita virgula libri index seu titulus enuntiatur, qui inclinatis seu cursivis litteris exprimitur;

volumen fere numeris romanis significatur, operis vero liber arabicis;

consequitur locus et annus ubi liber est editus;

et adjecta virgula paginae signantur vel numeri:

J. LLOBERA, *Grammatica classicae latinitatis*, Barcinone 1919 (=MCMXIX), n. 8;

E. LÖFSTEDT, *Syntactica II*, Lund 1956, p. 140;

CIC. *Pro Arch.* 3, 3; *De off.* 3, 2, 8; *De fin.* 3, 14, 45;

«GUERCIO (cfr. *Palaestra Latina*, 28 (1958) 344) Franciscam Ariminensem in latinum convertit».

VI — Quo modo syllabae dividantur¹:

Syllabae in medio vocabulo hac ratione dividuntur:

1. cum una tantum consonans inter vocales est, sequenti referenda est: *me-us, fa-ce-re, a-ër*;

2. cum vero duae consonantes sunt inter vocales, prima ad priorem, altera ad sequentem syllabam referenda est: *ip-se, or-do, sum-ma, con-do, pos-sum*;

3. geminatae litterae singulae ad aliam syllabam pertinent: *ag-ger, il-le, fer-re, com-mit-to*;

4. cum vero tres consonantes vocalem sequuntur, prima et altera consonans ad priorem syllabam pertinent, tertia ad alteram syllabam: *sanc-tus sump-si*;

Duplex exceptio admittenda est:

a) cum ex duabus vel tribus consonantibus ultima est *l* vel *r*, duae consonantes ad syllabam sequentem referuntur. Divides igitur: *cas-tra, tem-plum, plaus-trum*:

b) vocabula composita, ex elementis quibus constant, distingues: *per-spicio, con-scribo, con-stituo*.

At si prior pars compositi subobscura est aut in fine truncata, sequente vocali, syllabae dividuntur ut in verbis simplicibus: *mag-nanimus, ani-madverto, po-test*.

Sunt tamen non pauci grammatici aliter sentientes et docentes (et scribunt *magn-animus, anim-adverto, pot-est*).

Ita etiam *quo-niam, e-tiam*, quia *i* in his vocibus est vocalis.

1. Cfr. *Leges in scriptis Pontificii Instituti Biblici servandae*, Romae 1913, p. 12.

L. MULLER, *Orthographiae et prosodiae latinae summarium*, Petropoli 1878, p. 14.

J. LLOBERA *Grammatica classicae latinitatis*, Barcinone 1919, n. 12.

M. NIFDERMANN, *Phonétique historique du latin*, Paris 1953, § 103.

J. JIMENEZ, *De orthographia latina*, ed. 2.^a, Barcinone 1958, p. 46, n. 8.

PER ORBEM

Bis millesima a Cicerone occiso commemoratio. — «Concilium Studiis Ciceronianis provehendis, Arpini monumentum Ciceroni exstruendum curavit, quod inauguratum est sollemniter a Rei publicae Italicae Admīnistrorum Consilii Praeside A. Zolli, cui adfuerunt clari doctores Hector Paratore qui, Ciceronem communium litterarum et politioris humanitatis auctorem et magistrum demonstravit, P. Levine qui de M. Tullio Cicerone scriptore egit, A. Ferrabino qui de Ciceronis perpetuitate disseruit.

Hujus Consilii cura editio paratur Ciceronis operum omnium critica cui laborem et operam conferent ex omnibus gentibus viri praeclari. Quibus ex Hispanis adscitus est cl. v. J. Pabón. Parantur etiam et commentarii statis temporibus edendi quibus sit index *Ciceroniana*, et commentationum series peculiaris.

Salmanticae, in aedibus Pontificiae Universitatis bis millesimus a Cicerone occiso anniversarius dies magna actus est sollemnitate. Commemorationem digessit R. P. J. Jiménez, C. M. F., Facultatis Humanitatum Classicarum Decanus, paraverunt autem, doctoribus moderantibus, alumni Facultatis classicarum litterarum, qui rem totam explicarunt quae ad Somnium Scipionis quoquo modo referuntur.

XI Curriculum Humanitatum Classicarum et Linguae et Litterarum Hispanicarum. — Curriculum hoc aestivum, quotannis Salmanticae habitum, hoc anno de Cicerone erit. In praelectionibus enim quae latinitati tribuentur loquentur, clari doctores de Cicerone ut poeta et verbi artifice (E. Hernández Vista), philosopho (A. Muñoz Alonso), de Cicerone et Sallustio (P. Pérez de Urbel), de Cicerone et Caesare (R. Fernández Pousa), de Cicerone ejusque in posteros momento (A. Magariños) de Cicerone et Civili Caesaris Pompeique bello (R. Castresana). In colloquiis agetur de Cicerone ejusque civili scientia, de orationibus in Catilinam ad jus romanum perpensis (J. Guillén), de Cicerone et agri cultura (R. Fernández Pousa), de indole Ciceronis (E. H. Vista). Pars quae linguae hispanicae tribuitur, *Cicero in Hispania* inscribitur, in eaque de Cicerone in litteris hispanicis humanioribus, de Cicerone apud Nebrissam et Brocensem (M. D. de Asís), de Fr. Aloisio

Granatensi ejusque Ciceroniano elegantiore cultu (L. López Santos), de «humanitate» Ciceroniana apud «humanistas» nostrates (E. H. Vista) disputabitur. Agetur quoque de codicibus Ciceronianis in Hispania (M. Evelta Sánchez), de interpretibus Ciceronis in linguas Hispanicas, quid de Cicerone apud Hispanos sentiatur, quid de Hispania Cicero senserit. Tertia pars curriculi, quae est Graeca, inscribitur Cicero in Graecia. In qua A. Fontán, perpendet quid Cicero Graecis debuerit, in univsum, et singulariter J. Montalvillo dicet de Cicerone et Graecis philosophis, J. M. Guñot Galán, de Cicerone et Demosthene, J. Guillén de Cicerone et Neotericis, Seb. Mariner Bigorra de Graecanicis momentis et vi in linguam inque Ciceronis dicendi genus. In collationibus etiam perpendetur quid de arte Graeca oratoria senserit Cicero, quid de Graecis, quid de Cicerone senserit Plutarchus, de «pietate» et «fide» apud Ciceronem, de Cicerone et Platone.

Ut patet totum curriculum dicatur memoriae colendae extollendaeque «maximi in orbe terrarum, ut dicitur, prosae orationis scriptoris», bis millesimo ab ejus occisione recurrente die anniversario.

Commemoratio Ovidiana. — Etiam Ovidiana commemoratio agitur. Commentariorum *Classical Journal* primus hujus anni fasciculus, in Januario vulgatus, Ciceroni et Ovidio dicatus est.

—In Urbe *Sulmone* Expositio Ovidiana

disposita est, et paratus Conventus Internationalis virorum Ovidii studiosorum (*Congresso Internazionale di Studiosi di Ovidio*).

—Matriti acroasin habuit de Ovidio valde frequentem Dr. Herescu qui et auctor est libri cui index *Ovidiana*, quo quam plurimae eaeque magni momenti commentationes de Ovidio continentur.

—In commentariis εἰδος agitur de Ovidii momento et vi in scriptores hispanicos. Optima sane et erudita pervestigatio.

Certamen Capitolinum Prosae Orationis VIII. — Primum tulit praemium hujus Certaminis VIII cl. v. Theobaldus Fabbri, qui commentationem scripsit hoc indice insignitam: «*Dies jam comitiorum subest*». Alterum duxit praemium R. P. Felix SÁNCHEZ VALLEJO, S. J., hispanus, commentariorum «*Humanidades*» moderator egregius, quem lectores nostri viderunt in fasciculo superiore Ciceronem redivivum inducentem. In Certamine «*De taurorum agitatione*» qua sua est loquendi facilitate atque elegantia egit.

Certamen Capitolinum X. — Vixdum praemia VIII certaminis sunt renuntiata, Institutum Studiis Romanis provehendis omnes omnium gentium homines ad novum Certamen, quod X erit, invitat. Speramus multos petitores ad Certamen descensuros,

Anniversarius ab urbe condita dies. — Quotannis Romae anniversarius ab U. C. dies sollemnissime colitur, quamquam non illa sollemnitate, publica saltem, qua XX ante annos colebatur. Quo die non modo Certaminis Capitolini victorum nomina sunt pronuntiata, sed etiam praemia «*Almae Urbis Cultoribus*» distributa. Praemium, quod est aureum numisma, tulit cl. vir Axel BOETHIUS, «Lyncaeorum Academiae sodalis, Svedicus natione, perinsignis Antiquitatis magister, studiosa usque voluntate genti Ausoniae conjunctus», ut in numismate legitur. Annus MDCCCCLVIII p. Ch. n. est ab Urbe condita annus MMDCXXI.

Conventus Generalis Consociationis Internationalis Societatum Studiis Classicis Provehendis (*Fédération International des Etudes Classiques*). — Matriti diebus 18-20 m. aprili congregatus est. Clarissimi ex omnibus gentibus viri convenerunt, legati a singulis Societatibus missi. Conventum sunt moderati: B. A. VAN GRONINGEN, Praeses, Professor Leidensis, spect. femina J. ERNST, ab Actis, Parisiensis, P. ROMANELLI, Romanus, R. SYNCE, Oxoniensis. Societatis Hispanicae Studiis Classicis provehendis in conventu vices egit F. Rodríguez Adrados. Ibi lectum est omnibusque probatum documentum ab Helvetio Béranger, a Belgis Durry, Kamberbeck, Maguinness, Doctoribus humanissimis litteratissimisque in coetu m.

augusto a. 1957 habito, exaratum. Quo documento breviter, luculenter, suaviter exprimitur quid responsum sit Societati litteris capitalibus U. N. E. S. C. O. cognitae, quaerenti quid valent nostris diebus studia classica humanarumque rerum in animis hominum instituendis informandisque. Quod inter COLLECTANEA legas exscriptum. Disputatum est etiam de libris, a pluribus scriptoribus exaratis et auctori seu viro egregio dicatis. Etiam de uno eodemque modo breviter simpliciterque adhibendo cum vel scriptorum nomina vel documenta vetera notis seu siglis exprimuntur.

III Congressus Internationalis Studiis Classicis Provehendis. — Londini habebitur a die 31 m. augusto ad 5 m. sept. a. 1959, ut superioribus fasciculis nuntiavimus.

Opera latina 'Iulliana - omnia edenda curabunt, cl. Dre Stegmüller moderante, eruditissimi viri, quibus operam conferent Rei Publicae Germanicae Rectores, *Institutum*

(Fundación) *Joannes March*, Concilium Palmae Majoricensis municipale, «*Disputatio Balearen-sis*» (Disputación provincial).

Institutum cui est nomen Fundació Bernat Metge. — Est ab egregio illo patricio Francisco Cambó conditum ut scriptorum latinorum graecorumque opera eorum lingua, addita in linguam catalaunicam conversione, ederentur. A. 1922 primum volumen divulgatum est, cui accedunt plus quam CXXI. Nuperrime edita sunt:

Tucídides - *História* III; Virgili - *Bucoliques*; Plaute - *Comédies* XI; Platón - *Diálogos* V; Terenci - *Comédies* II; Sèneca - *Qüestions*

Naturals I; Sèneca - *Qüestions Naturals* II; Tàcit - *Històries* III; Píndar - *Olimpíques* I.

Brevi edentur:

Estaci - *Silves* I; Tucídides - *História* IV; Sòfocles - *Tragèdies* II; Marcial - *Epigrammes* IV; Hipòcrates - *Obres*; Plaute - *Comédies* XII; Demòsthenes - *Discursos* I; Terenci *Comédies* III; Quintilià - *Institució oratòria*; Terenci - *Comédies* IV; Terenci - *Comédies* V; Marcial - *Epigrammes* V.

Archaeologicum inventum. — In lucem venit simulacrum pulcherrimum, paulo plus quam metrum altum, quod refert Silvani dei spectem, nudam, pecoris pelle ad collum vincta, manu pedum seu baculum pastorale tenentem, cupressique ramum. Ad pedes jacet canis. Simulacrum, ut videtur, saeculo II post Ch. n. est adscribendum.

De pronuntiatione linguae latinae. — In commentariis sacerdotalibus a sacerdotibus conscriptis, quibus est index *Incunable* saepe his mensibus «de pronuntiatione latina» agitata est quaestio. Sunt qui efferendas esse litteras italico modo affirmant. Sunt vero qui patrium modum defendant. Sunt tandem —neque immerito— qui «classicam» quae dicitur, mordicus teneant. Qui italicam (quam et romanam) malunt, haec argumenta fere promunt: italicam esse communioem et usitatiorē, immo et faciliorem, jucun-

diorem, suaviorem; conjunctionem praeterea concordiamque animorum fovere, in sacris operandis magis esse idoneam, Summorum Pontificum menti aptiorem, ad cantum Gregorianum accomodatorem. Immo fuit qui diceret illos «cum Ecclesia non sentire» qui veterum pronuntiandi modum in sacris operandis tenerent, eosque verba sacra veluti corrumpere, polluere, violare quae ea classico modo proferret. Ad quae haec ego respondeam: illo modo linguae cujusve verba esse emittenda quo qui illi loquebantur usi sunt. Linguam igitur latinam latine esse pronuntiandam, non italice, non hispanice, non gallice. Quis enim gallicam linguam vel italicam vel anglicam hispanice pronuntiet? Qui vero «cum Ecclesia non sentire» arbitratur eos qui «classice» loquantur, id perpendat amabo: aequum progressum ecclesiae sensui non opponi; quod si in disciplinis theologicis et philosophicis conceditur, multo magis in his quae nullo modo fidem neque mores attingunt erit concedendum. Qui vero veterem illam pronuntiationem musicae gregorianae repugnare affirmant, ante oculos habeant oportet veterem Psalmorum versionem, in quo Psalmi canebantur, immutatam esse, nec quicquam sacra illa disciplina passa est; nedum patietur si pronuntiatio immutetur quae initio et quasi in cunabulis Ecclesiae adhibita fuit.

Quidquid tamen opinaris, lector, id saltem postulandum esse videtur: ne «haeretici» illi appellentur qui alio modo ac nos in rebus disputandis opinantur.

De vita decesserunt. — Romae cl. v. Salvator RICCOBONO, in loco *San Giuseppe Jato*, in Palermitana provincia, a. 1864 natus, qui olim Universitatis Palermitanae Rector fuit, qui in Pontificio Athenaeo Lateranensi cathedram Exegesis seu Interpretationis et Historiae Fontium Juris Romani multos annos re-

xit. Superiore anno praemium Cultoribus Urbis Romae constitutum erat adeptus

Lutetiae Parisiorum cl. v. Joannes ESTELRICH, qui Institutum «Fundació Bernat Metge» ab initio moderatus est, quique hispanorum in Consociatione UNESCO dignissime personam egit.

Celso.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

COLLECTANEA

DOCUMENTUM CONSOCIATIONI UNESCO TRADITUM

(Cfr. *Estudios Clásicos* 4 (1958) 358)

Le 24 octobre, à la suite d'une décision prise par la 8.^e session de sa Conférence générale de décembre 1954, l'UNESCO a envoyé aux états membres, aux commissions nationales et à diverses personnalités un questionnaire détaillé sur le rôle des études classiques et humanistes dans l'éducation. Le CIPSH a tenu naturellement à faire bénéficier des réponses reçues les états et les gouvernements intéressés par ce problème essentiel. A son tour, la F. I. E. C. a demandé à une commission restreinte d'analyser le gros dossier ainsi constitué et d'en extraire, le cas échéant, des remarques et des suggestions profitables à tous.

Des rapports et une documentation variée ont été adressés par dix-neuf pays (Allemagne, Australie, Autriche, Chili, Cuba, Egypte, Espagne, Etats Unis, France, Inde, Israël, Italie, Mexique, Pakistan, Philippines, Royaume Uni, Suède, Tchécoslovaquie, Yougoslavie). Il convient de rendre hommage à ces réponses nourries de renseignements précieux. Toutefois on est contraint de noter qu'elles sont parfois incomplètes et surtout partiales: il semblerait qu'elles émanent souvent de fonctionnaires qui, avec la meilleure foi du monde, semblent plus inspirés par des soucis de politique intérieure que par une vue désintéressée du problème. Quoi qu'il en soit, si l'on veut analyser très succinctement les idées qui reviennent le plus souvent, on retiendra:

1. — la constatation que les connaissances des élèves, en ce qui concerne les langues anciennes, sont, à la sortie de l'enseignement secondaire, aujourd'hui en recul;

2. — le recours généralisé à des solutions de facilité.

La Commission de la F. I. E. C. est unanime à penser qu'un humanisme fondé sur une

large culture générale doit être à la base de la formation et doit précéder toute spécialisation.

Or, elle est non moins unanime à penser qu'un des moyens les plus sûrs de maintenir cet humanisme sont l'acquisition et la pratique des langues classiques, le latin et le grec (les deux!), dans les pays de culture occidentale; car il est évident que pour l'Orient, proche ou lointain, l'humanisme se référera, par exemple, à l'arabe ou au chinois ou à l'hébreu ou au perse ou au sanscrit. En effet, il est désirable qu'une proportion notable des intellectuels de chaque pays garde l'accès direct aux sources de la pensée de leur civilisation propre. Cette idée essentielle nous ne la perdrons jamais de vue même si, dans ce qui va suivre, nous parlons à titre d'exemple, de l'enseignement du latin et du grec dans les pays de culture occidentale.

Il est à souhaiter que l'enseignement des langues classiques dans les établissements de second degré s'adresse aux enfants aptes à le recevoir intellectuellement parlant, en dehors de toute considération de la classe sociale, et que ceux-ci déburent dans cette étude le plus tôt possible, c'est à dire dès le passage de l'école primaire dans les gymnases ou lycées.

Sur la façon d'enseigner les langues classiques on pourrait tirer profit des suggestions suivantes: la règle la plus simple et la plus générale consistera à dire que cet enseignement doit être fait par la langue même. Il faut, selon les goûts des enseignants et les capacités des élèves, allier de façon continue et harmonieuse l'acquisition des connaissances grammaticales et la lecture des textes. La grammaire peut être comme tirée des textes, à condition qu'on sache rappeler à l'enfant les paradigmes et les tableaux qui fixeront ses acquisitions et aideront l'indispensable exercice de la mémoire. La lecture des textes se fera tan-

tôt en insistant sur l'effort nécessaire de raisonnement logique, tantôt, quand l'auteur sera plus facile, d'une façon rapide. Il faudra éviter de faire de la traduction une fin en elle-même, mais ouvrir l'esprit des élèves aux valeurs spirituelles et artistiques des oeuvres sans en négliger le contexte historique.

L'acquisition d'un vocabulaire de base, enrichi chaque jour par la lecture même qui paraît nécessaire et devrait conduire à la suppression du dictionnaire dans tous les cas de compétition ou d'examen; la Commission s'excuse d'insister sur ce souhait qui peut sembler trop particulier, mais dont la réalisation lui paraît au contraire de toute première importance et susceptible de redonner aux études classiques une vie renouée et une efficacité bienfaisante.

Beaucoup des réponses reçues font allusion, sans rien préciser, à des «méthodes nouvelles». Rien, en effet, ne doit être négligé qui puisse susciter l'intérêt et mieux l'enthousiasme des jeunes auditeurs. On cherche à les éclairer sur les *realia* en ayant recours, par le livre, les projections, les films, à des illustrations, à condition qu'on se fasse un règle absolue de n'en présenter que d'authentiques; on les conduira dans les musées et dans les cas les plus favorables on leur fera faire des voyages aux sites archéologiques régionaux et étrangers. Cela dit, n'oublions pas que des moyens extérieurs ne peuvent pas remplacer le travail de l'esprit sur les textes mêmes et qu'une acquisition qui a une telle importance et une telle valeur ne saurait être réalisée sans un effort persévérant.

Que des objections sérieuses puissent être faites aux recommandations que la Commission vient de se permettre de faire ne lui a pas échappé. Par exemple, on arguera des besoins que tous les pays, vieux et jeunes, ont actuellement de scientifiques pour faire face aux problèmes techniques et économiques posés au monde actuel. Mais n'est-il pas le lieu de rappeler que les techniciens qui n'auront pas derrière eux une culture générale fondée sur l'humanisme ne pourront dominer leur technique même, ni la faire progresser pour le bien de l'humanité? Rappelons que ceux qui, aujourd'hui, sont enclins à voir dans les humanités classiques un bagage inutile et désuet vivent plus ou moins consciemment eux-mêmes sur cet acquis. Là où la tradition humaniste a été interrompue un certain temps, un vide s'est creusé dont on prend conscience aujourd'hui et que par réaction on s'emploie à combler en revenant aux sources. Or on sait combien il est difficile de regagner le terrain perdu lorsque le recul a été d'une certaine durée.

Certains considèrent que nous n'avons plus désormais à nous préoccuper que d'une actualité sans passé. Pourtant, il y a derrière nous un héritage qui vient de très loin. C'est à lui que nous devons les idées morales sur lesquelles reposent la société et cette connaissance historique qui nous permet de mieux servir, non seulement notre patrie, mais aussi, en donnant à nos obligations internationales des fondations solides, la communauté humaine dans le respect des individus et des peuples.

El campamento romano

Romanorum castra

Cerca de Arlés vieron los viajeros,
junto a la carretera,
una gran multitud de soldados.
El maestro reconoció entre los oficiales,
que estaban a la entrada del campamento,
a Quinto Gelio, hijo *de un amigo* (suyo).

SEMPRONIO — ¡Gelio, Gelio!

GELIO. — ¡Buenos días, Sempronio!
¿Cómo es que te encuentro por este
país?

S. — Vamos a Roma *el pequeño Aulo*
y yo.
¿Tú también por aquí?

G. — Soy tribuno de la primera
de estas tres legiones.

S. — Aulo nunca ha visto
instalar el campamento a los soldados.

G. — *Si queréis (VOSOTROS) (os*
gusta), me brindo yo mismo
por compañero.

Nos quedaremos unos días aquí.

S. — Pero *nos entretendremos*, (nos será
ocasión de retraso), pues deseamos
llegar cuanto antes a Arlés,
y ver la ciudad y sus
monumentos.

Prope Arelatum viatores viderunt,
juxta viam stratam,
magnum militum gregem.
Magister vidit inter tribunos,
qui ad castrorum aditum erant,
Quinctum Gellium, *filium cujusdam amici.*

SEMPRONIUS. — Gelli, Gelli!

GELLIUS. — Salve, Semproni!
Qua de causa te in his locis inve-
nio?

S. — *Ego et parvus Aulus Romam*
petimus.
Cur hic tu quoque?

G. — Tribunus sum primae
trium harum legionum.

S. — Nunquam Aulus vidit
milites castra ponere.

G. — *Si VOS juvat,*
comitem vobis memetipsum
praebeo.
Aliquot dies hic manebimus.

S. — *Sed hoc nobis morae erit,*
nam Arelatum quam primum per-
venire optamus
atque urbem ejusque
monumenta videre.

Près d'Arles les voyageurs virent à côté de la route, une grande multitude de soldats.
Le professeur reconnut parmi les officiers *qui étaient à l'entrée du campement*, Quintus Gélius,
le fils *d'un ami* (à lui).

SEMPRONIUS. — Gélius, Gélius!

GELIUS. — Bonjour, Sempronius! *Comment ça se fait que je te trouve dans ce pays?*

S. — *Le petit Aulus et moi nous allons à Rome. Toi aussi par ici?*

G. — Je suis le tribun de la première de ces trois légions.

S. — Aulus n'a jamais vu les soldats *installer leur campement.*

G. — *Si vous le voulez (si ça vous plaît) je m'offre moi même à être votre compagnon.* Nous reste-
rons quelques jours ici.

S. — Mais *ça nous attardera*, puisque nous désirons arriver au plus tôt à Arles et voir la ville
et ses monuments.

Specimen evulgatus dialogorum latinorum qui in discis phonographicis sunt incisi et expressi et «Cursus
latinus Polyglottus CCC» (Curso de Latin Polyglotte CCC) inscribuntur. Hi vero dialogi et apto vocum indice et
acutissimis picturis ornantur, quas grammaticae explicatio in singulis libellis consequitur.

Ineunte mense octobri, Deo juvante, et disci et libelli in manibus alumnorum et eruditorum erunt.

G. — Todo tiene su tiempo.
Esta noche dormiréis en mi tienda.
Así presenciareis la llegada de la
tercera legión.

Ellos escuchan el sonido de las trompetas
y clarines.

*Franquea por fin los umbrales del campamento
la tercera legión.*

A. — ¡Cuántos soldados!
Explicame todo, Gelio.

G. — Rompe la marcha un piquete
de caballería.
Estos son los exploradores.

*Detrás de ESTOS avanzan muchos otros jinetes.
La vanguardia del ejército en marcha;
los escuadrones de caballería.*

Trescientos jinetes ordenados en diez escua-
drones.

El escuadrón tiene tres decurias.

Al frente de la decuria está un decurión.

A. — Pero además vienen *detrás*
muchísimos soldados.
Todos van a pie.
¿Es que no tienen caballos?

G. — Son los infantes,
pues siempre van a pie.
*Estas son las legiones de novatos,
que prestaron hace unos meses
su juramento.*

G. — Omnia tempus habent.
Hac nocte in tentorio meo discum-
betis; ita adventui tertiae legionis
aderitis.

Illi audunt tubarum lituorumque [lituûmque]
sonitum.

Tertia tandem legio castrorum
intrat limina.

A. — Quot milites! *Omnium
rerum, Gelli, mihi rationem affer.*

G. — Turma equitum praeit.
Hi sunt exploratores.

Pone EOS multi alii equites incedunt.

Primum agmen;
turmae equitum.

Trecenti equites in decem turmis instructi.

Turma tres decurias habet.

Decurio decuriae praeest.

A. — Quam plurimi autem, praeterea,
post milites veniunt.
Omnes pedibus incedunt.
Numquid equos non habent?

G. — Sunt pedites,
nam pedibus semper incedunt.
*Hae tironum legiones sunt,
qui paucos menses abhinc
jusjurandum dederunt.*

G. — Chaque chose a son temps. Cette nuit vous dormirez dans ma tente; comme ça vous as-
sisterez à l'arrivée de la troisième légion.

Ils entendent le son des trompettes et des clairons.

Enfin, la troisième légion franchit le campement

A. — Combien de soldats! *Explique-moi tout, Gélius.*

G. — Un peloton de cavalerie ouvre la marche (marche en tête)
Ceux-ci sont les explorateurs (ce sont les explorateurs).

Derrière ceux-ci marchent beaucoup d'autres cavaliers. L'avant-garde. Les pelotons de cavalerie.
Trois cents cavaliers rangés en dix escadrons. Chaque escadron compte trois décuries. Un
decurion est à la tête de chaque décurie.

A. — Mais beaucoup d'autres soldats, en outre, viennent *après* ceux-ci (derrière ceux-ci)
Tous marchent à pied. *Est-ce qu'ils n'ont pas de chevaux?*

G. — Ce sont l'infanterie, car ils marchent toujours à pied. *Celles-ci sont les légions des jeunes
recrues qui prêtèrent leur serment il y a seulement quelques mois.*

Mientras veían *entrar* la tercera legión
en el campamento,
los soldados de la primera y segunda legión
trabajaban febrilmente
en la fortificación del campamento.

Dum *adventantem* in castra tertiam
legionem videbant,
primae et alterius legionis milites,
studiose laborabant
in munitione castrorum.

A. — Se trabaja con toda intensidad,
amigos; nadie está ocioso aquí.
G. — Aquí hay trabajo para todos.
S. — Los soldados han abierto una
fosa de cinco pies de ancha
y tres de honda.

A. — Fervet opus, amici;
nemo otio indulget.
G. — Hic omnibus est labor.
S. — Milites fossam foderunt
quinque pedes latam,
tres pedes altam.

Estamos en mitad del campamento, junto al
altar.

In mediis castris ad aram sumus.

Delante de NOSOTROS está el pretorio,
y la vía y puerta pretoria;
detrás, la vía y puerta decumana;
a la derecha, la vía y la puerta principal
derecha;
a la izquierda, la vía y puerta principal
izquierda.

Praetorium *ante NOS* exstat,
et via et porta praetoria;
pone, *vía* et porta decumana;
ad dexteram, *vía* et porta principalis dexte-
ra;
ad sinistram, *vía* et porta principalis sinis-
tra.

S. — *La retaguardia*
entra ya en el campamento.
G. — ¡Ea! vamos, amigos,
venid a mi tienda.
A. — *Mañana* será el ataque contra
aquellas fortificaciones.
Estoy loco de alegría.

S. — *Novissimum agmen*
castra jam intrat.
G. — Eja! agite, amici,
venite in tabernaculum meum.
A. — *Cras* illarum munitionum ex-
pugnatio erit.
Laetitia exsulto.

M. MOLINA, C. M. F.

Pendant qu'ils voyaient la troisième légion *arriver* au campement, les soldats de la première et de la deuxième légion travaillaient fiévreusement à la fortification du campement.

A. — On travaille bel et bien, mes amis; personne n'est ici oisif.
G. — Il y a du travail pour tous ici.
S. — Les soldats ont creusé un fossé large de cinq pieds, et haut (profond) de trois

Nous sommes au centre du campement, près de l'autel. *Devant NOUS* se trouve le prétoire et la voie et porte prétorienne; derrière, la voie et porte decumaine; à droite, la voie et porte principale droite; à gauche, la voie et porte principale gauche.

S. — *L'arrière-garde* fait déjà son entrée dans le campement.
G. — Allons, mes amis; partons. Venez à ma tente.
A. — *Demain* ce sera l'attaque contre ces fortifications-là. *Ma joie déborde.*

BIBLIOGRAPHIA

BUECHNER, KARL. — *Roemische Literaturgeschichte*. Ihre Grundzuege in Interpretieren der Darstellung. Alfred Kroener Verlag. Stuttgart, 1957.

Scitum hoc maximi momenti Litterarum Latinarum Historiae opus, numero est 247 in illa nobili «Kroeners Taschenausgabe» Collectione, atque 580 admodum densis paginis constat, a praeclearo Professore K. Buechner aptissime exaratum. Certe consulit haec Litterarum Latinarum Historia desiderio eorum, qui penitus et profundius callere, cum latinis litteras tum indolem antiquorum Romanorum, exoptant.

Praecipuae autem singulares notae culturae Romanorum, eorumque principum operum, hic tanquam amplo, erudito conspectu collectae adhibentur. Praeclarissima nomina, quae quasi proprio ingenio et spiritu Europam aluerunt, —Plautus, Terentius, Catullus et Lucretius, Cicero, Caesar, Sallustius, Vergilius, Horatius, Livius, elegorum Poetae, Tacitus—, ibi suum locum habent assignatum. Cui vero magno, atque commendando operi conficiendo clarus auctor totus se dedit illis quidem Lucretii, Ciceronis, Horatii, Vergillii, Boethii operibus, quae adhuc in vulgus magnoque omnium plausu dederat.

Post brevem rei praefationem (pp. 7-10), in novem capita volumen totum dividitur: I. *Die Anfaenge* (pp. 11-35); II. *Die Bahnbrecher* (pp. 36-98); III. *Krisis und erst Loesung* (pp. 99-172); IV. *Die genialen Schoepfer der Vorklassik* (pp. 173-287); V. *Die augusteische Klassik. Erfuellung und Spiel* (pp. 288-389); VI. *Tiberisch-claudische Zeit. Ermattung und Pathos* (pp. 390-436); VII. *Von den Flaviern bis Hadrian. Klassizismus, Archaismus, Einsamkeit* (pp. 437-478); VIII. *Von Hadrian bis zur Renaissance des Symmachuskreise. Das christliche Schifftum bis Augustin* (pp. 479-534); IX. *Vos Augustin bis Boethius. Verwandlung und Symbol* (pp. 535-553).

Tabula denique consequitur chronologica (pp. 554-556); bibliographia (pp. 557-566; vocabulorum praecipuorum Index (pp. 567-580). Magni sane ponderis hoc opus cui sedulam sine dubio navabit operam sedulus latinitatis cultor.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MCCELLER, CHARLES. — *Literatura del siglo XX y Cristianismo*. III. La Esperanza humana. Editorial Gredos, Madrid, 1957.

Non nullorum scriptorum saeculi nostri studio atque meditatione, clarus vir Moeller hunc tanquam librum tabulam «humanae spei» summa doctrina summoque pondere evulgavit. It vero scriptores qui ei argumento fuere: Malraux, Kafka, Vercors, Sholovjov, Maulnier Bombard, Françoise Sagan, Ladislao Reymont.

Amplissimi huius libri scriptor non literis quidem navat operam merus criticus, sed amicus etiam educatorque juventutis, eidem verae spei itinera aperire atque indicare satagit. Ex quo neutquam lector allici non potest, cum amplitudine tum altitudine dissertationum quiquis totam rem alte penitusque pertractat.

Post praefationem (pp. 7-27) tres partes opus totum definiunt: I. *André Malraux o la Esperanza sin tierra prometida* (pp. 31-261). II. *Franz Kafka o la Tierra prometida sin esperanza* (pp. 265-431). III. *Acercamientos a la tierra prometida* (pp. 435-620). Ut disputationis consecutaria, aliqui conspectus humanae spei scilicet afferuntur ab auctore (pp. 621-679). Tum propriorum nominum index atque index totius operis generalis (pp. 681-696).

Inscriptio libri lingua gallica est: *Littérature du XX^e siècle et Christianisme* (Editions Castelman. Paris et Tournai). In linguam autem hispanicam aptius convertit, clarus professor Valentín García Yebra, de humanioribus literis bene meritis.

PHILOPONUS, C. M. F.

W. CLAVSEN. — *A. Persi Flacci Saturarum liber*. Accedit vita. Oxford. At the Clarendon Press, 1957.

Nova hac editioe continetur textus criticus Saturarum ac vita A. Persii Flacci, una cum praefatione, eaque perquam erudita et absoluta, de manuscriptis. Selectissimum praeterea apparatus criticum reperies, ubi copiosis notulis loca difficiliora explicantur.

Textus vero Saturarum innititur studio clari auctoris proprio in pluribus manuscriptis, ex quibus non nulli nondum in scientiae philologiae usum venerant. Paucis, editio primum adhibet textum criticum Persii cum accuratissima manuscriptorum relatione, quibus ad nos usque est transmissum hoc A. Persii Flacci opus litterarium.

In praefatione (pp. VII-XXVIII) proponuntur et investigantur manuscripta; tum Saturarum textus cum apparatu critico (pp. 3-33); denique «Vita Aulis Persii Flacci de commentario Probi Valerii sublata» (pp. 37-39). Appendicis causa, conspectus codicum aut raro aut numquam adhibitorum atque index annotationum (pp. 40-43). Vere opus totum illi scriptoris voci, huic libro praepositae consonat: «Ingenium movit sola Corinna meum».

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

FRISK, HJALMAR. — *Griechisches Etymologisches Woerterbuch*. Lieferung 6. Heidelberg, 1957. Carl Winter - Universitaetsverlag.

Sextum jam attingit fasciculum editio novi maximi momenti, Dictionarii Graeci Etymologici, a claro professore H. Frisk exarati. Opusculum pagina 481 ad 576 usque decurrit, a vocabulo autem ἐλάνη ad vocabulum ἐστία incohatur.

Eodem prorsus studio et ingenio eademque arte typographica totus libellus evolvitur, quae quidem nobilem illam «Bibliothecam Indo-germanicam» magno opere honestant, ab editore CARL WINTER adhuc in vulgus datam. Operis certe huius modi absolutionem omnes qui in excolendam linguam graecam operam dant, vehementer exoptant. Quod in pluribus autem tempori cedendum.

A. MARQUÉS, C. M. F.

NIERMEYER J. F. — *Mediae latinitatis lexicon minus*. Fasciculus 4 et 5. Leiden E. J. Brill, 1957.

Uno quidem tenore in vulgus editur magnum id «Mediae latinitatis lexicon minus», ab inclito viro J. F. Niermeyer, in Universitate Amstelodamensi professore, exaratum. En vobis, lectores, novissimi operis fasciculi: fasciculus nempe quartus, a pag. 289 ad 384 usque, a vocabulo «curia» ad «exactare» vocabulum complectitur; fasciculus vero quintus, a pag. 385 ad 480, a voce «exactatio» ad «haribannitor» vocem protenditur.

Humaniorum litterarum cultorem, non modo vocabula aureae argenteaeque latinitatis, verum et mediae et infimae latinitatis nosse, utpote plurium in natura rerum significantia, operae pretium est. Neque hic verba faciamus de copiosis romanicarum linguarum scriptis. Nonne hinc anuli totius latinitatis catenae eminent?

Jam id vero «Mediae latinitatis lexicon minus» tanquam verum solidumque administriculum non esse tibi non potest, ad penitentiorem latinae linguae intelligentiam: historiam enim vocabulorum in eo inventes, eruditione ingenioque comparatam, eorum temporum quibus linguae romanae a populis condebantur atque in cotidianum usum aptabantur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

PARATORE, ETTORRE. — *Storia del Teatro Latino*. Casa Editrice Dr Francesco Vallardi. Milano, 1957.

Opusculum hoc tanquam pars exstat ex opere, cui nomen «Storia del Teatro», a praeclaro viro Mario Praz moderato. Post luculentam de re praefationem (pp. 1-7), in sex capita studium de theatro latino aptius ab auctore partitur. 1. Origines: Etruscorum in re vis et auctoritas, versus Fescennini, satira, atellanae, mimus (pp. 8-23). 2. Structura vel forma theatri apud Romanos: auctores, actores, mores, theatra, ludi (pp. 24-56). 3. Nobilis theatri latini periodus: prima aetas, a Livio Andronico ad Plautum usque (pp. 57-138). 4. Nobilis theatri latini periodus: altera aetas, ab Ennio ad sullana tempora (pp. 139-212). 5. Caesaris aetas: spectacula, creatio

theatri «stabilis», normae in theatro litterario adhibitae, mimus (pp. 21¹-220). 6. Aetas imperialis: aetas Augusti, auctores, progressus artis aedificiae theatrialis, theatrum saeculis superioribus, Seneca (pp. 221-286).

Denique bibliographia eaque selecta de re ad latinum theatrum pertinenti. Opus maxime ipsum scriptoris nomen commendat de re curiosis atque cultoribus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PEI, MARIO A. — *La meravigliosa Storia del Linguaggio*. Traduzione di E. G. Peruzzi. Sansoni Firenze.

Lepida haec «Linguae historia» clarissimo M. A. Pei, in Universitate columbiensi philologiae romanicae professori, debetur; inscriptio vero textus primigenii: *The Story of Language*. Translata autem est in linguam italicam a praeclaro professore Aemilio G. Peruzzi.

Libri ratio et via cum scientifica tum litteraria. Atque opus in quinque totum divisum partes inter se valde conjunctas. I. Historia linguae (pp. 1-59). II. Elementa ad ipsam linguam pertinentia (pp. 61-112). III. Munus et officium linguae socialis (pp. 113-165). IV. Linguae orbis terrarum (pp. 167-247). V. Lingua internationalis (pp. 249-284).

Qua homines de causa loquuntur? Initio omnes una usi sunt lingua? Quare linguae commutantur? Quonam pacto a lingua ad dialectum pervenitur? Quam ob rem omnis homo et locus omnis proprium nomen habent...? In paginis hujus voluminis, idque ratione pressa ac suadenti, hisce aliisque non minoris momenti quaestionibus ab erudito scriptore respondebitur.

PHILOPONUS, C. M. F.

BUFFIERE, FÉLIX. — *Les Mythes d'Homère et la pensée grecque*. Société d'Édition «Les Belles Lettres». 95, boulevard Raspail. Paris, 1956.

Magnae quidem molis maximique ingentis ac laboris liber, qui eruditam illam bibliothecam «Collection d'Études Anciennes» unice honestat. Primum autem hujus libri propositum clarissimo professori Marcello Caster, ut

ipse scriptor proficitur, debetur; atque praeclaro viro Petro Chantraine auctore F. Buffiere, in Facultate Litterarum Institutii Catholici tolosani professor, accurate exaravit.

Brevis anteit de re praefatio (pp. 1-15). Quattuor solidae partes tanquam libri corpus constituunt. I. Principia et normae exegesis antiquae, in quattuor capita (pp. 7, 78). II. Arcana universi physici in decem capita (pp. 79-248). III. Indoles humana, in octo capita (249-391). IV. Arcana mundi invisibilis, in duodecim capita (pp. 393-582).

Scite opus finitur (pp. 583-589). Et complementi causa notulae: quaestio de theologia geometrica apud Philolaum, quattuor elementa et angulus trianguli. Homerus et astrologia (pp. 591-594). Appendix: Antrum Nympharum Porphyril (pp. 595-616). Indices: locorum Homeri, scholiorum, auctorum antiquorum, auctorum recentium, analyticus (pp. 617-672). Tabulae rerum et picturarum (pp. 673-677).

Paucis: solidae eruditionis opus, pristinis de rebus quod maxime clarum scriptorem extollat lectoribusque commendetur.

PHILOPONUS, C. M. F.

GUALLAR PÉREZ, MANUEL, PBRO. — *Indtibil y Mandonio*. (Historia de los Caudillos Illegales sacada de los textos clásicos). Instituto de Estudios Ilerdenses. Patronato José M^a Quadrado del Consejo Superior de Investigaciones Científicas, 1956.

Praeclarus vir, Emmanuel Guallar, professor linguae et litterarum latinarum in Instituto Nationali Ilerdensi, ex sua ipsius classicorum scriptorum lectione et usu, et hunc historiae apud nostrates librum conscribere studuit. Atque tres illi fuere praecipuae fontes: Polybius, Titus Livius, Silius Italicus.

Hinc inde sedulo seligendo atque in criticae artis trutinam revocando, curiosos scriptor facta certa in unum collegit de vita et gestis illorum heroum Illegatorum Indtibilis et Mandonii. Elucubratio sane erudita, 137 paginis constans, quae jucundissime leguntur. Commodum et oblectamento ita erit liber, qui de re historica, cum hispanica tum romana cognitionem intimam capere intendunt.

PHILOPONUS, C. M. F.

VAN OOTEGHEN, J., S. J. — *Bibliotheca graeca et latina*. Deuxième édition revue et augmentée. Editions de la Revue Les Etudes Classiques. 59, rue de Bruxelles, Namur.

Perquam utilis, sine dubio, liber hic ad usum professorum Humanitatum graecarum et latinarum, a praeclarissimo Professore J. Van Ooteghen, S. J., scite concinnatus. Estque vera «Bibliotheca graeca et latina», seu «repertorium» de re bibliographicum, ad nostros usque dies sedulo perductum, quod a cultoribus humanorum litterarum magni quidem pendetur.

Tres totum in partes volumen hoc partitur: Notiones quae prius proponuntur (pp. 3-49); Bibliotheca graeca (pp. 53-205); Bibliotheca latina (pp. 209-384). Prima vero in parte haec numerantur: I. Opera generalia. II. Bibliographia generalis. III. Geographia antiqua. IV. Historia graeca. V. Historia romana. VI. Historia litterarum graecarum. VII. Historia litterarum latinarum. VIII. Grammatica graeca. IX. Metrica graeca et latina. X. Grammatica latina. XI. Lexicologia graeca. XII. Lexicologia latina.

Altera in parte praecipuam bibliographiam inventes de 27 praecipuis scriptoribus graecis; in tertia vero de 18 praecipuis scriptoribus latinis. Scopum videlicet attigit eruditus scriptor in indice bibliographico exarando, qui commodo omnibus professoribus litterarum graecarum et latinarum erit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

BERNINI, FERDINANDO. — *Dizionario della lingua latina*. Italiano-Latino, Latino-Italiano. 3.^a edizione riveduta, corretta e aumentata. Società Editrice Internazionale. 1957. Torino.

En tibi solidum lexicon, perutile quidem laboris instrumentum in latinitate addiscenda atque colenda. Opus 1587 pagellarum luculentis typis excussarum. Undecim vero tabulis pictis volumen aptissime collustratur, quibus res prae oculis, una cum vocabulis, tanquam directa ratione adhibeantur. Ad usum praeser-

tum omnium mediarum scholarum liber a claro viro F. Bernini exaratus est.

Operi calendarium romanum ex integro concinnatum praestitit (pp. V-XI); deinde metrologia romana (pp. XII XIII); tandem picturarum elenchus, facilloris omnino usus (p. XIV). Opus maxime juvat, idque commendandum nostris lectoribus «Palaestrae Latinae» duximus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

HOFMANN, B. JOHAN. — *El Latín Familiar*. Traducido y anotado por Juan Corominas. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Instituto «Antonio de Nebrija». Manuales y Anejos de «Emérita», XVI. Madrid, 1958.

Nobile illud opus de «Sermone familiari latino» ab egregio professore J. B. Hofmann olim exaratum, in hispanicam modo linguam convertitur a claro viro Joanne Corominas, de re linguistica et philologica optime merito. Nostratibus sane latinae linguae professoribus hoc opus utile, si quid mei est iudicii, erit in his maxime quae ad latinum sermonem familiarem referuntur.

Libro autem praestitit nota seu animadversio (p. VII); praefatio (pp. IX-XIV); bibliographia (pp. XV-XIX). Consequitur perspicuum idque eruditum prooemium (pp. 1-11). Atque reliquum volumen has in partes dispertitur: I. Aspectus subjectivus-affectivus loquellae familiaris (pp. 12-185). II. De sermocinantis actione in colloquentem (pp. 186-226). III. De propensione sermonis familiaris ad id quod materiale est et graphicum (pp. 227-245). IV. De proclivitate sermonis familiaris ad id quod triviale est et laconicum (pp. 246-259).

Denique exstant: specimina textuum (pp. 261-265); lexicon (pp. 267-278); conceptuum index (pp. 279-282); index generalis (pp. 283-288). Opus scilicet hoc conatus exstat sollers apud nostrates vel acumina philologicae ac linguisticae scientiae inserendi. Quod quidem bene vertat.

A. MARQUÉS, C. M. F.

STIERLI, JOSEF, S. J. — *Cor Salvatoris*, publicado en colaboración con R. Gutzwiller, H. Rahner y K. Rahner; traducido del alemán por A. Mir Flaquer, Edit. Herder, 1958, Barcelona, pg. 392.

Cor Salvatoris forsitan opus omnium scitissimum et accuratissimum merito esse videatur de devotione Cordis Jesu prout ratio et postulata theologica nostris temporibus requirunt. Hoc volumen componunt quaedam lucubrationes seu disputationes a sapientibus theologis Societatis Jesu in Helvetia habitae qui omni gravi ratione scientifica de devotione Sacri Cordis disseruerunt. En tituli argumentorum quae legentibus proponuntur: De quibusdam difficultatibus quibus devotio S. C. irretiri possit (R. Gutzwiller); De fundamentis biblicis devotionis S. C. proposita et cogitata (R. Rahner); De initio quo *Cor Salvatoris* coli inceptum est tempore Patrum ecclesiasticorum (H. Rahner); De cultu S. C. ab ultima Patrum aetate usque ad Bram. M. Alacoque (J. Stierli); De cultu liturgico S. C. medio aevo (J. Stierli); Nonnullae theses seu quaestiones de S. C. devotione (K. Rahner); Notulae seu commentarii textuum liturgicorum C. J. (R. Gutzwiller); De indole biblica litaniarum S. C. (R. Gutzwiller); De praestantia et excellentia devotionis S. C. in dogmatibus et in vita christiana (J. Stierli).

Cor Salvatoris tum theologis et contionatoribus tum qui S. C. amanter colunt ac venerantur, scientiae et pietati magno erit adjumento; nam *Cor Salvatoris* est quasi invitatio instans et vehemens nostra quidem aetate qua plurimorum animorum caritas refrigescere videtur.

M. MOLINA, C. M. F.

GILI Y GAYA S. — *Diccionario de Sinónimos*. Publiciones y Ediciones Spes, S. A. Barcelona 1958, 344 pag.

Tempus apud nostrates jam erat quempiam in recentioribus eiusque peritissimis linguae hispanicae cultoribus hanc quaestionem de synonymia seu de verbis fere idem significantibus alte repetere atque hodiernae scientiae linguisticae ope et adjumento penitus retrac-

Tanti operis beneficium debemus clarissimo scriptori S. Gili y Gaya — jam inde profecto a litteris et lingua hispanica benemerito — qui nuperrime nos pulcherrimo volumine donavit.

Opus 344 pag. constat accuratissimis typis in lucem editum. Praeit luculentissimus magnique momenti in praesentia prologus in quo paucis sed scientifica ratione agitur de synonymia. In prooemio enim auctor naturam et historiam synonymiae investigat subtiliter polysemiae, homonymiae, synonymiae voces discriminans. Synonymia, ut ita dicam, perfecta et absoluta auctori rarissima esse videtur et in iis tantum rebus inesse quae cum pluribus nominibus designentur, eundem tamen omnino sensum habent.

Discrimen verborum fere idem significantium jam a veteribus in unaquaque lingua scriptoribus notatur. Scriptor autem gallicus Girard (s. XVIII) primus de synonymiae quaestionibus fusius pertractavit, cujus sententiam in universum benigne tuendam servandamque suscipit hujus vocabularii auctor notitiam bibliographicam in memoriam revocans operum in primis et scriptorum hispanorum qui rem hujus modi jam inde a saeculo XVIII ad nostram aetatem attigerunt.

Deinde, breviter sed luculenter exposita signi linguistici natura juxta regulas recentioris scientiae linguisticae, amplitudine et varietate vis semanticae quae ad synonymiam attinet rite perspectis, auctor duplicem viam atque rationem in vocabulario exarando lectoribus ostendit: interdum enim simplici enumeratione synonymica verborum similium, interdum synonymia, quam explicatam seu rationibus illustratam fas est appellari, utitur, adeo ut articuli quorundam vocabulorum parvae lucubrationes videantur exemplis quoque exornatae quibus discrimen inter voces similes instituat.

Nihil est dubii quin vocabularium elmi. viri S. Gili y Gaya haud parvo sit adjumento scriptoribus, scholasticis, ceterisque qui vel acta diurna et periodica conficiunt vel etiam qui crucigrammatum navant joco operam, quibus omnibus accurata verborum distinctio facilius hujus vocabularii ope fiet.

M. MOLINA, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARIJ

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. IV — (FASC. III) — N. 15

M. SEPTEMBRI

A. MCMLVIII

Scholae vacant.

Nunc rusticari juvat; quare pergimus in villam ubi purior est aër; ruri ludimus, multumque laetamur.

AULUS IN VILLA RUSTICATUR

Scholae vacant; et Aulus cum parentibus Tusculum, in amoenissimum locum qui non multum ab Urbe distat profectus est.


Ibi aliquot dies rusticari consue-
runt. Locus sane amoenissimus est
villisque abundat.

Quos vides sunt Auli parentes T.
Flavius et Terentia uxor; his Cornelius
occurrit et, postquam eos comiter salutavit,
totam villam describit:

«Porticus illa ampla —tibi quoque narrat,
parvule lector— marmoreis est suffulta colum-
nis, ubi cum amicis pueri et puellae ludere
solemus; sub his columnis multa me docuit
Terentius paedagogus de grammatica, de nu-
meris, de poëtis, de musica; ibi etiam fidibus
ludere didici.

Praeter amplam porticus januam, alia est
porta qua pueri ingredimur atque servi onera
intro comportant.

Juxta est fenestra velamine protecta, ex
qua mirus prostat in hortos et praedia vicina



conspectus, ac per eam purus aër, quin sol
capiti noceat, penetrat.

Contignationis cenacula ¹ fenestellis qui-
bus lux immittitur, instruuntur, ac supra tec-
tum solarium ² insternitur, cui pensilis trichē
la ³ reptantibus plantis perbella adnectitur.

Haec est fere —ut vides— externa villae
nostrae Tusculanae descriptio.

¹ habitaciones (del piso superior) · chambres (placées
à l'étage supérieur).

² terraza · terrasse

³ glorieta · gloriette tonnelle

STRUCTURA PETASI TURRITI LUDIFICATUR JOANNELLUM (*)

Accipe quid abhinc annis quinquaginta Joannello, tum innocenti decem annorum camillo ¹, e venerit.

Instabant sollemniores cum missa turificata ² nuptiae, quod genus nuptiarum a ministrantibus propter spem nummariam «nuptiae pingues» ³ appellabatur, et Joannellus tum turiferi obibat munus.

Nota res est sacrum turiferi ministerium satis diuturnas habere cessationes seu intercapedines. Haec Joannello causa fuit infortunii. Nam is suspenso post offertorium turibulo e suo clavo, occupationem quaerens accedit ad rotundam in sacrarii ⁴ vestibulo mensulam, in qua tum, ut solebat, petasi jacebant sponsi et testium.

Tum tres ibi nitebant petasi turriti ⁵; et duorum quidem vetustatem limbi ⁶ sudoribus maculati testabantur; tertius, plane novus et fulgidus, petasus turritus sponsi certe erat, qui alliciebat Joannellum.

Timide prehensum ridiculo suo capiti imponit varias gesticulans salutationes: primum dignitatem imitans Sempronii neopresbyteri, qui sex hebdomadis ante in oppidum venerat primum sacris operaturus; deinde expeditiorem simulat modum praesidis provinciae; ad extremum agitationem exprimit lascivientium ⁷; cum «cylindrus» indignatus de Joannelli irreverentia, veluti harmonica ductilis ⁸, in se ipsum recidit, corrugatus ⁹, aequato cum margine orbe.



Hic Joannello intercluditur spiritus, qui tremula manu, quod prius fulgidus fuerat «cylindrus», vetustioribus illis apponit.

Absolutis reliquis turiferi ritibus tanquam per somnium, aedituo, qui dato ad elevationem sacramenti in sacrarium revererat, sudore madidus et sine verbis digito monstrat effectum intervallorum sui ministerii.

1. «Camillus» est qui sacris ministrat: *monaguillo*.

2. *missa* in qua adhibetur *tus*.

3. «pingues», quia nummorum copiosae.

4. sunt qui *sacristiam* quoque dicant: *sacristia* - *sacristie*.

5. «petasus turritus»: qui et «petasus tu-

biformis», quod tubi formam haberet, et simpliciter «cylindrus» dici potest: *sombrero de copa* - *chapeau haut de forme* - *high hat* - *Zylinder*.

6. *orla*, *franja* - *bordure*.

7. *bromear* - *badiner*.

8. *acordeón* - *acordéon*.

9. *arrugado* - *ridé*.

Ille diffusus suis oculis, cum compressum petasum turritum ex omni parte tentasset, canum movens caput: «Non vidi annis septuaginta quattuor talia» dixit, et «curaveris patri tuo, quod tinniat»¹⁰.

Tum Joannellus in eo recessu, ubi pendet vestis ministrantium, calidas fundens lacrimas, jam praesentia cernit mala quae necessario impendeant: ante fores ecclesiae paratam novis nuptis raedam duobus equis nigris junc-tam; vah! non posse sponsum hoc tectum operculo per medium vehi forum! o rem desperatam!

Tum infelix Joannellus irritis precibus divinis supplicat universis, ut, si non totius occidentis, oppiduli sane sui expostulent interitum, tanta jam



vicina catastropha¹¹. Nam sponsi redeunt in sacristiam, ubi parochi vicarius excipit quae referri oporteat in matriculam¹² paroeciae; quo facto ad sacristiae ingressum aedituus sponso infortunatum tradit «cylindrum» etiam calamitatis auctorem praesentaturus. Sed antequam id faceret, sponsus arreptum cylindrum forti pugni dexteri pressu, «clac» facientem, attollit cylindrum intus renidescentem¹³ et, torvis aspiciens aedituum, egreditur.

Is, cognito eventu, quem nunquam tam puero secundum speraverat, facto in Joannellum impetu, pro consueta in nuptiis gratificatione duorum sestertium, duas solidas ei ducit alapas.

Nodus dramatis dissolutus est in nuptiali cena, cui cum sacerdote interfuit aedituus. Petasus ille turritus erat «chapeauclaque» qui dicitur, cylindrus plicatilis, recentis fabricationis exemplum, cujus neque aedituus expertus dolos erat neque Joannellus. Tum lenit ira sponsi, qui persuasum habuerat se, quod tum quidem summopere dedeceret, ludum factum ab aedituo, noto in regione cavillatore. Idem sponsus paucis diebus post obviam factus parvo Joanni huic promptam ex marsupio obtulit marcam, quae esset et merces lacrimarum et satisfactio injuriae alaparum. Sic ei ad extremum nuptiae illae fuerunt «adipatae».

Qui interim annos explevit sexaginta, et, cum quis hodie illius mentionem facit petasi turriti, affirmat primum diabolicorum inventorum vicesimi saeculi tam infestorum humano generi fuisse «cylindrum plicatilem».

A. AVENARIUS, S. V. D.

10. Id est: «in cylindro hoc sic corrugando rem fecisti impendiosam patri tuo, pro cuius refectione pecuniam solvet pater tuus». *Tinnire* in lingua familiari est pretium dare, *pagar* - *payer*.

11. «calamitas», *catástrofe*.

12. *registro* - *registre*.

13. *renidescere*: *comenzar a brillar* - *començar à brilhar*.

Alumnorum epistulae

*Thomas avunculo suo, eidemque Zamorae
Episcopo, humiliter salutem dicit.*

Ubi primum ex litteris tuis cognovi quam avidus quamque cupidus vitam meam sciendi es- ses quantumque te meis rebus oblectares, tibi omnes itineris hujus casus narrare decrevi. Itaque, si vere te oblectaturus videris iis quae infra scripta sunt, ea legere potes; sin autem, quemcumque finem his litteris ponere velis, sive aquam, sive ignem, etiam nunc pone libenter. Nunc incipio.

Nondum primae luces diem nuntiaverant cum jam omnes collegae numero quadraginta, somnum excutiebamus. Dies splendidissimus, nulla in caelo nubes: talis tali itineri dies nobis a Deo servabatur! Celeriter postquam nos aqua lavavimus (tantam munditiae cupiditatem nobis magistros infecisse miraberis), lecto composito (iterum miraberis), omnes in triclinium ad aliquid manducandum convenimus. Postea in vehiculum quod nos vehere dedebat ascendimus. Quo jam currente, canere omnes incipiunt: ibi ululatus strepitusque audisses: unusquisque secundum suam copiam et peritiam, nullis servatis regulis neque modis, non solum ore sed etiam manibus et pedibus vocem extollebat. His artibus —si artes et non ferocitates nominandae sunt— duas horas fere dediti in oppidulum amoenum Fontibre nomine (ibi est enim fons Iberi fluminis situs) pervenimus, ibi paululum commorati, celeriter cursum prosecuti sumus et in urbem nomine Reinosam, magnam et pulchram, quae erat itineri finis, hora fere tertia pervenimus...

Si tibi haec placuit narratio, bene est. Sin autem stulta et insulsa videtur, nihil injuriae me accepisse scito. Vale.

Comillis

THOMAS
Alumnus VI cursus

AD SALTUM EQUI

	PI	SUN	
NAE	TI	A	SEM
	VE	TER	TI
	MI	AE	RAE

Rex et rurigena

Alexander Magnus quodam die venatum iisse et rurigenam sub arbore sedentem juxta viam invenisse dicitur.

— Quid hic agis? ei dixit Alexander Magnus.

— Regem videndi causa exspecto.

— Si vis post me equo insidere, inquit, in locum te, ubi eum videas, deferam.

— Quo modo regem cognoscam?

— Tantum hoc tibi sufficit, cum rex advenerit, omnes capita aperient ut eum saluent.

Alexander Magnus ubi comites et venatores erant, pervenit; omnes, galeas pileosque sustulerunt, eumque salutarunt.

— Quis est rex? rurigenae Alexander dixit.

— Domine, aut ego aut tu; tantum nos enim capita cooperta habemus.

M. ALSINA
Barbastris


Rusticationis dies narratur in alumnorum epistulis

Precibus atque operum oblatione habitis, exeundi fit signum. Magna vocum atque clamorum strepitu fit via, ac minime defessi levi matutina aura, illo pervenimus ubi Missa celebranda erat: humile templum vepribus circumsaepum, cui parva ara quam il rustici homines Mariae ejus mense dicant, non deest.

Sol magis magisque altior plus aestuabat: extemplo Sanctum Vincentium (de la Barquera scilicet, oppidum celebritate habitantium et piscatorum fama valde notum), ejus amplum aestuarium ejusque portum conspiciamus. Mirabile visu! Tum descensio proclivis incipit: celeria cisia et graves autocineti carri veloces, ventum post se removentes, transibant. Ante pontem qui ad Sanctum Vincentium ducit, viam dextrorsum ingredimur. Jam per oram incedimus. Jam pervenimus.

Dato signo, omnes aquaticam vestem induti, in aquam se projecerunt. Ibi natatores ludos sub aqua facere, imperiti vero se projicere non audere et admodum juxta arenam tantum capite tenus immergi. Novum signum sibilo datur: omnes lente ac graviter ab aqua recedunt, vestes induunt, pransum itur. Ibi enim jam autocinetum erat quod nobis cibos afferebat...

DANIEL FERNÁNDEZ MUÑOZ
Alumnus VI anni - Comillis.



Si amplius nos cruciat fames, viam natando
prosequi necesse erit.

J. ALSINA, alumn. VI C. delineavit.

Vespere, postquam a motu atque exercitiis ludicris cessavimus et cibum tenuem frugalemque —ut in satira secunda secundi libri dicit Horatius— concoquimus, consilium fecimus per mare Comillas redeundi, sed adjuncta ita nobis obstarunt ut non potuerimus non pede regredi. Iter vero convertimus juxta litoris semitam, non vero via publica, ut id via brevior conficeremus. Optima dies fuit!

Tales dies opportunissime cadunt, quoniam relaxationes requiei atque incremento sunt et corpori, quod persaepe in quiete est et a motu procul abest, et menti quae semper studiis librisque versatur (non vero spiritui, ut aliqui autumant, spiritus enim requiem non habet). Hic, cum docetur, hoc cumulo Xenophontum, Vergiliorum, et ita porro, adeo implicamur ut...

Attamen, cum in campum eximus, tantummodo ad calceamenta et pilam et ad alia ejusmodi intendimus. Maximi igitur momenti est, his diebus interdum recreari. Mihi desiderio est litterarum studiorumque interstitium ut plenam atque integram requiem capiam.

Non tibi vale dico, sed quoad apud te sim, amplexus accipe a fratre tuo.

(JOANNES PAULUS FORCÉN RUIZ,
dilecto fratri suo).

Comillis. Alumnus V cursus.

— Nuper, Antoni, iter confect et
Galliam, Italiam, Angliam, Africam,
Hispaniam inveni.

— Tunc Geographiam optime cognosces.

— Minime. Geographiam trajecimus noctu.

Barbastris J. LUNA

— Deliravit heri vir tuus!

— Ita est; dicebat se tantum domi imperare.

Cervariae JOANNES PALOU

METTIUS

Pax albana post certamen inter Horatios et Curiatios non diu mansit. Mettius, dictator albanus, Fidenates et Veientes in Romanos concitat sibi suisque prodicionem reservans

1. Cum Fidenae aperte defecissent, Tullus, Mettius exercituque ejus ab Alba arcessito, contra hostes ducit; Anienem transit, ad confluentes castra ponit. Tullus adversus Veientem hostem dirigit suos, Albanos contra legionem Fidenatium collocat.

2. Sed Romani vident Albanos ad montes succedentes, et ideo eques romanus, citato equo, nuntiat regi Albanos in montes abire. Tullus equitem clara increpat voce, ut hostes exaudirent:

—«Redi in proelium; nihil trepidatione opus est; meo jussu circumducitur albanus exercitus ut Fidenatium nuda terga invadant».

3. Romani acrius pugnant. Terror ad hostes transit. Fidenates terga vertunt. Instat Tullus, tusoque Fidenatium cornu, in Veientes, alieno pavore perculosos, ferocior redit Flumen objectum hostes ab effusa fuga arcet. Ideo alii, dum in ripis inter fugae pugnaeque consilium cunctantur, opprimuntur; alii, arma foede jactantes, in aquam caeci ruunt.

4. Tum albanus exercitus, spectator certaminis, deductus est in campos. Mettius Tullo devictos hostes gratulatur; contra Tullus Mettium benigne alloquitur. Quod bene vertat, jubet Albanos castra romanis castris jungere; sacrificium lustrale in diem posterum parat.



PRODITOR

5. Ubi illuxit, paratis omnibus, ut adsolet, vocari ad contionem utrumque exercitum jubet. Praecone primos excitant Albanos. Hi, novitate etiam rei moti, ut regem romanum contionantem audirent, proxime constiterunt.

Romana legio ex composito armata, circumdatur; centurionibus datum negotium erat ut sine mora Imperia exsequerentur.


6. Tum ita Tullus inquit (=incipit):


— «Romani, hesterno proelio dimicastis non magis cum hostibus quam cum proditione ac perfidia sociorum. Nam injussu meo Albani subiere ad montes, nec imperium illud meum, sed consilium et imperii simulatio fuit. Nec ea culpa omnium Albanorum est; Mettius ille est ductor itineris hujus, Mettius idem hujus machinator belli, Mettius foederis romani albanique ruptor».

7. Centuriones armati Mettium circumsistunt; rex cetera, ut orsus erat, peragit:

«Metti Fufeti, si ipse discere posses fidem ac foedera servare, vivo tibi ea disciplina a me adhibita esset, nunc, quoniam tuum insanabile ingenium est, at tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere, quae a te violata sunt».

8. Exinde duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettium, deinde in diversum iter equi concitati sunt, lacrum in utroque curru corpus, qua inhaeserant vinculis membra portantes





*Non equidem plane capio cur uxor dixerit
hoc subuculae (camisa) collare fauces meas
nimium comprimere.*

JOCUS IN FORO

Quidam homo in foro cum famulo, —qui surdus erat—, melones cum venditaret, domum est revocatus quia ibi expectabatur.

Tunc famulo dixit: Si quis venerit et interrogaverit quanti sint melones, tu dices LXXX et LXXXX pesetis. Quod si ex te quaesierint sintne omnes boni, respondebis: «Alii etiam, alii non». Si eos nimium constare dixerit, tu dices: «Si tu non dederis, alius mihi dabit».

Dominus discedit, juvenis venit et interrogat:

—Scisne quota sit hora?

—Octoginta et nonaginta pesetis.

—Omnes tam stulti sunt ut tu?

—Alii etiam, alii non.

—(furibundus) Fustem tibi impngam.

—Si tu non dederis, alius mihi dabit.

Barbastri

J. YUBERO

FELES CALLIDA

Quidam iter faciebat cum famulo, quem, quanquam non erat vir sapientissimus ut Solo, cocum secum habebat. Erus cum perdicem emisset: «Statim praepara», inquit. Tamen, timens famuli ineptias, librum culinæ accepit et praescriptionem scriptam dedit.

Feles coci neglegentia utens, perdice arrepta, in tectum ascendit ut tranquille eam ederet. Cum famulus felem fugientem vidisset, manum in crumenam immisit, et praescriptionem inveniens dixit valde contentus:

«Heus, miserrima feles: tu videris quid facias. Quia praescriptio in crumena est et nescies quo modo perdicem condias».

Barbastri

B. BELTRÁN

Yannick d'Arcimoles Jacobo Sánchez,
amico, salutem dicit.

Tres jam menses sunt cum tibi scribere volo. Hodie tandem id facio. Mihi in animo est tibi de parentibus meis quaedam scribere: eos nuper vidi, feriis enim paschalibus in domum nostram revertimur.

Pater meus vitam militarem amplexus est. Ex quo factus est dux militum, imperia sua semper in Africa exercuit, praeter duo annos quos in Germania transegit. Nunc in ea regione militibus imperat cui nomen Sahara. Africam multum diligit, cujus terrae dilectione et ipse haud mediocriter sum affectus. Mater etiam in Sahara vitam agit. Operam suam illi societati dat quae a Cruce Rubra nomen habet. Indigenarum in domos invisit, militibus in publicis nosocomiis aegrotantibus sollicitudinem suam impendit.

Luscus quidam rex, cum effigiem suam pingendam peroptasset, pictorem ad id arcessivit, qui ad amussim rem perfecit. Rex autem, cum luscum se vidisset, maxime iratus, pictorem dimisit. Et alium vocavit.

Hic vero de re plane eruditus, pulcherrimis oculis regiam pinxit faciem. Quem rex cum visibiliorem ostendere vultus turpitudinem diceret, iterum ipsi suscensuit.

Alium pictorem

ACUMEN INGENII



vocavit, qui a munere abhorrens accipiendo, a rege hac de causa pingere est iussus.

Pictoris vero filia cum patrem tristem videret: «De-linea tantummodo regiam effigiem».

Aliquot post diebus regi pictor delineatum ostendit vultum: qua re libens ob artem ingenique aciem, praemiis rex pictorem affecit.

S. SOLA

Celso-nae.

Duos fratres habeo inter quos medius ego sum: alter enim viginti annos, alter octo natus est, ego vero quatuordecim. Ambo in Mauritania nati sunt. His diebus, frater natu minor (is Bruno vocatur) Aggini degit, major natu autem, cui nomen est Radulphum (gallice: Raoul) studia superiora in urbe Icosio (seu Alger) persequitur. — Sorores etiam duae sunt, e quibus natu major Magdalena vocatur, minor Veronica. Altera in Aegypto, altera in urbe Mauritania Melanis nata est. Magdalena abiit aliquando in Hispaniam et linguam Hispanicam novit, nunc autem studiorum causa Lutetiae Parisiorum habitat.

Haec sunt quae tibi hodie scribere volebam. Te rogo ut tu mihi de tuis etiam scribas. Ita fiet ut alter alterum melius cognoscamus.

Dic mihi etiam quid facias, quibus rebus operam des.

Vale.

Scr. Dorniae, a. d. IV non. Jun.

Marcus Todd Georgio Gassull, s. p. d.

Ut lacrimor, quantus est mihi dolor! Tuas litteras abhinc undecim menses recepi; attamen quanquam eo tempore statim tibi rescripsi, nihil aliud a te ad me advenit. Meae litterae, ut opinor, antequam legas sunt missae. Itaque de his quae ad me pertinent te certiore non faciam antequam satis sciam te meas epistulas recipere, receptasque intelligere, posse. Simulac hanc epistulam perlegeris, quam celerrime responde!

Tuum nomen quomodo in litteris tuae linguae scribendum sit non certe scio.

Mihi igitur erranti, o Georgi (¿Jorge?) te ignoscere oro!

Tuas litteras spero, spero.

Vale, amicissime.

Scribebam Berkhamsted, Kalendis iulitis.

Quid modestia militaris valeat

Anno MDCCCLIV Birkenhaed, maxima tunc aetatis navis, Australem Africae oram circumvehebatur. Numerabantur vectores quadringenti et quinquaginta: nautae, milites Britannii, centuriones aliquot cum uxoribus et liberis.


Navigatio autem propter cautes partim ex oceano exstantes partim sub aquis latentes valde periculosa fuit. Dum navis suum tenet cursum, subito ictu ingenti concutitur.

Jam vectores territi, cum proram ascendissent neque ullam salutis spem sensissent, mortis angore agitati una omnes unicum cumbam appetunt et suam singuli sedem occupare conantur.

Tum medio in tumultu vox gubernatoris imperantis auditur: «Priores feminae et pueri». Continuo tumultus quiescit, nautae et milites recedunt, aditus cumbae feminis et pueris patet. Deinde centurio quidam milites ac nautas in puppi consistere jubet. Dicto oboedientes puppim petunt, consistunt et, dum fluctus puppim verrunt, stant immoti, aggeris instar.

Denique cumba, postquam triginta feminae et liberi conscenderunt, lente a nave demissa et undis amota altum consequitur. Vix quingenta metra distat, navis maxime allisa media diffringitur. Sed milites, ut erant jussi, ordine dispositi pallidi quidem, sed immoti stant, tamquam non essent homines sed monumenta lapidea. Nemo clamat, nemo se hora suprema servare conatur, sed una cum nave fluctibus hauriuntur ad mortem usque dicto oboedientes. Tantum modestia militaris valebat.

N. MANGEOT



Sibi ipse inservit

**ars longa, vita brevis.
ad augusta per angusta.
abstine et sustine.
cui honos, onus.**

—Equus, quem vendidisti, heri est mortuus.

—Res mira, mihi nunquam mortuus est.

J. E. GIRONÉS

INTER DEMENTES

— Cui scribis, o bone?

— Mihi.

— Et quid tibi dicis?

— Quomodo sciam, cum epistulam nondum acceperim?

A. MILLÁN

Barbastrí.

Antonius Angelo salutem dicit

Jucundissimas a te accepti litteras in laboris subseito traditas, quibus gratissimum mihi fecisti, quod primum omnium te ad mihi scribendum in lingua latina dedisses, quibusque dicebas, quadam simulatione facta, te velle a me litteras latinas accipere.

Equidem si multum ex his litteris utilitatis, ut hanc linguam penitus noscamus, sumus percepturi, ad hoc consequendum vim atque curam meam summam adhibebo; sin autem id nobis erit lassitudini, nimirum labor noster (ut opinor) non nihil tamen progressionis adferet utilitatisque.

Etenim, cum ad illa venio quae dicis «praeter scriptionem esse utile in primis, ut multi antiqui praeceperunt, vel ex Graeco in Latinum vel ex Latino vertere in Graecum» (quae mihi ingens exercitatio videtur) statuo id mihi quoque faciendum, sed ratione paululum immutata, ita ut ex Latino vertam in Graecum, ex Latino quoque in linguam Gallicam aut contra, quia hoc tempore haec esse vel inter praecipuas orbis linguas judicatur, quaeque nobis utilitati est, ut opus «Cicéron, oeuvres choisies» vocatum facili negotio vertamus; quod sine dubio nostra in humanitate multum juvabit.

Nihil aliud magis desiderarem quam me ad hujus rei studium totum dare, sed appropinquante periculis tempore, tantis rebus iisque consumor, ut nihil ad perficienda haec studia litteraria temporis mihi supersit.

Tu autem, Angele, libenter sacerdotii studia prosequere; anxius esse noli, memento nihil in studio mali esse, nisi forte ipsum discendi studium et voluntatem et perseverantiam amiseris; animi virilitatem cole, cogitans quid honor dignitasque tua postulent. Quam magna tibi a Deo conferentur, si te ad laborem, constantiam gravitatemque tradideris. At hoc loco quaedam tibi magnifica occasio ostenditur grati animi exhibendi erga parentes tuos, qui propter futura tua tum bona sua, tum vitam fortasse immolaverunt. Et qui summum laboris tui fructum a te repetere possunt. In spe igitur sumus quod nihil mo-


lesti onerosique sit quod te impediat quo minus te totum studiis devoveas.

Cito ad me litteras mitte, ego autem quam saepissime tibi scribam, duce magistro sapientissimo qui nos, ut antea dixi, ad hujus linguae cognitionem summam et usum ducet.

Vale. Comillis, die 18 m. maji, a. 1958.


ANTONIUS UBEDA
Alumnus Vi Cursus

VERBORUM AENIGMA



In Transversum. — 1. Perge. 2. Altare. 3. Inique. 4. Remunero (*litteris versis*). 5. Erice (*litt. vers.*); Cadit. 6. Lar; Accipe (*litt. vers.*). 7. Arvum (*litt. vers.*); adverbium temporis. 8. Par. 9. Salto. 10. Si vis. 11. Vocalis.

Ad perpendiculum. — 1. Consonans. 2. Numerus cardinalis inter «unum» et «decem» (*litt. vers.*). 3. Unus (*arch.*). 4. Ad pilam spectat. 5. Commissura umeri et brachii. 6. Furiae; Viscera. 7. Cupide; altercatio. 8. Incursus. 9. Dulcia poma habet. 10. Adverbium quantitatis. 11. Centum.



PUER, INTELLEGIS QUAE LEGIS?

J. ALSINA, alumn. Vi C. delineavit.



*Diem perdidit
Est modus in rebus
Age quod agis
Dura lex, sed lex
Nemo malus felix*

AENIGMATA

1. Plures pedes habens, domum revertit tergo incumbens.
2. Duodecim sumus fratres, ego alter natus minimusque sum.
3. Quonam anno magis lugent parvuli?
4. Oculos non habeo, caecos vero ducō.



Accipe. Maximae enim voluptati mihi concentus fuit.



Nos et grates referimus.

J. BERUETE
scripsit et delineavit

SOLUTIONES

(cfr. PALAESTRA LATINA, 1958, fasc II, pp.378, 380)

Pecten: CAVE CANEM
i i i i i
b c v s r
o o i o o

Verborum aenigma. — *In transversum:*

a) L. Abavis. b) Esculentam. c) Ne. Cane. Mi.
d) Occasionis. e) Cru. Oss. f. Iersonensi. g)
Nt. Ustis. Ao. h) olrasseceN. i) R. Eleusa. I.

Ad perpendiculum: 1) Lenocinor. 2) Secreti.

3) Ac. Cur. Re. 4) Buccasual. 5) Alas. Osse
6) Veni. Nisu. 7) Ineo. Eses. 8) St. Non. cA.
9) Amissae. 10) Amissioni.

Cratlis intricata:

De litteris legitur: «Pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur».

De Palaestra Latina: «Palaestra, tu cibus es sapidus juventae».

Solutiones miserunt: A. Miguel, E. Estefanía, A. Millán, A. Ubiergo, A. Quijada, L. Belmonte, Joannes Palau, quibus proposita praemia mittuntur.

BIBLIOGRAPHIA

PESCE, GENNARO. *Sarcophagi Romani di Sardegna*. «L'Erma di Bretschneider», Roma, 1957.

Bonis quidem auspiciis Regionis Autonomae Sardiniae, hunc nobilem edidit librum praeclarus vir J. Pesce. Tanquam duo inibi diversi libri, quamquam ad unguem se respondentes: alter 135 magnis, iisque scitis, textus paginis; alter CXIV tabularum paginis cum 152 picturis constans.

Propositum vero auctoris libri hujus in unum colligere sarcophagorum reliquias, temporis vero imperii romani, in Sardiniae dictione repertas. Quod scilicet tota typographica arte totaque scientiae palaeologicae eruditione perfecit. Opus iis omnino commendandum, qui de rebus pristinis arte plastica excusis notitiam ampliorem habere exoptant. Ex quo Romanorum res luculentius illustrabuntur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MAROUZEAU, J. — *Du latin au français*. Les Belles Lettres, Paris, 1957; pp. 42.

Omnes qui linguam latinam colunt cl. v. Julium Marouzeau ex praecipuis doctisque libris norunt quos perpetuo multis abhinc annis in lucem emittit. Quem nuper edidit prima fronte parvulum dixeris et pagellarum numero et doctrinae tractatione. Re tamen vera animo falleris. Nam magister hoc opusculo viam pandit multis adhuc incognitam: alumnis doctisque viris quid commune, quid vero singulare habeant lingua latina et gallica in singulis grammaticae partibus sapienter edicit.

Hoc opusculum adjumento erit et viae his alumnis qui in Universitatibus linguis classicis operam dant, quin tamen libros, qui altiore de grammatica historica et comparata doctrinam explicant, sufficiat; sed utilior certo erit iis qui linguam latinam non ceperunt aut vix eam cognoscunt.

Primum quid in litterarum scriptione et elementis lingua gallica a latina sumpserit cl. scriptor exponit, quidve inter se dissentiant, significat; deinde sonos seu phoneticam investigat (qua ratione evolvantur *quadragesima* > *carême*; *digitum* > *doigt*; *sénior* > *sir*; *seniorem* > *sieur*; *illum* > *il - le*; *illam* > *elle - la*, *aquam* > *eau*, *aucam* > *oie*); postea morphologiam seu rationem verba fingendi singularem sive in latino sive praesertim in gallico sermone explicat *cheveu* (capillus) - *capillaire*; *coeur* (cor, cordis) - *cordial*; *jour - quotidien* (quotidie = *journellement*); vocabula deinde spectatim considerat et syntaxin; tandem ponderata «conclusionem» multa scitu digna declarat, et appendice praecipua verba latina, quae vulgo in sermone gallico familiari inventiuntur, enumerat.

Est sane opusculum ex quo multa ediscere poterit linguae latinae cultor. Utinam viam, quam apud Gallos cl. v. J. Marouzeau aperuit, et alii apud alias gentes pandant ut qua ratione linguae hodiernae cum latina consentiant, qua vero ab ea dissentiant, luculenter appareat.

M. TRISTANIUS, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR

Textos Palaestra

venales prostant apud officinam librariam

GRAFICAS CLARET

Lauria, 5

BARCINONE

TEXTUS NOTULIS INSTRUCTI

JIMÉNEZ, <i>Latín</i> , Primer Curso (2 edit.) venit	ptis.	12
• <i>Latín</i> , Segundo Curso (2 edit.)	•	20
• <i>Latín</i> , Tercero y Cuarto Curso	•	30
• <i>Historiae Sacrae compendium</i> , (4. edit.)	•	7
• <i>Epitome Historiae Graecae</i> , (5 edit.)	•	8
SARMIENTO, <i>Phaedri fabulae</i> , (edit. paratur)		
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	ptis.	5
MIR, <i>Ciceronis, epistulae selectae</i>	•	4
JIMÉNEZ, <i>Caesaris de bello civili</i> , (2 edit.)	•	6
• <i>Ciceronis pro Archia poeta</i> , (2 edit.)	•	10
• <i>Ciceronis in Catilinam</i> , (2 edit.)	•	7
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	•	10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> , (lib. II, 2 edit.)	•	8
MESA, <i>Sallusti de Catilinae Conjuratone</i> , (2 edit.)	•	8
PLANQUE-PLANAS, <i>Gramática Griega</i>	•	30
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> , (2 edit.)	•	5
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	•	4
MESA, <i>Titi Livi Historiae selectae</i>	•	8
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	•	6
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> , (lib. I)	•	10
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	•	12

PALAESTRAE LATINAE volumina annis praeteritis edita

I. <i>soluta</i> : ab anno 1939 ad a. 1954	veneunt ptis.	25
ab anno 1955 ad a. 1957	•	50
II <i>linteo contexta</i> : a) singula volumina unum complectuntur (ab a. 1939 ad a. 1954)	•	35
b) singula volumina binos annos complectuntur (ab a. 1939 ad a. 1954)	•	60
c) volumen annos 1955-1956 complectitur	•	115

Ex officina typographica: F. Camps Calmet — Tarregae (in Hispania)